BREVIS SYNOPSIS VITAE, AC VIRTUTUM P. ANTONII IULII...

Giovanni Maria Visconti,
Martin Bouché, ...





BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
24 A
49

Assistentiæ Germaniæ S. J.

BREVIS SYNOPSIS

VITÆ, AC VIRTVTVM P. ANTONII IVLII BRIGNOLE E SOCIETATE IESV.

Qui prius fuit Marchio Gropoli in Hetruria, Filius Ducis, & ſenator Sereniſsimæ Reipublicæ Genuenſis, ejuſdemque Orator ordinarius ad Regem Catholicum.



Collecta idiomate Italico
A
P. IOANNE MARIA VISCONTE
Ad uſum Provinciæ Mediolanenſis.

Ac deinde latio data
A
P. FRANCISCO L'HERMITE
Vt omnibus nationibus communis fieret; Ambobus ejuſdem Societatis presbyteris.



D. PROB. ROM. S. J.

ANTVERPIÆ,
Typis CORNELII WOONS, ſub ſigno Stellæ. 1671.
Cum Gratia & Privilegio.



Vera effigies P. Antonii Iulii Brignole e Societatē IESV, qui potens opere et Sermone, cum opinione Sanctitatis obiit. Genuæ in patria sua, Anno Salutis 1662. ætatis 57. die 20. Martii.

VENERANDO PATRI

P. ANTONIO IVLIO BRIGNOLE

RELICTIS MARCHIONATV,

IN SERENISSIMA REPVB.

GENVENSI SENATORIS,

EIVSDEMQVE LEGATI

AD REGEM CATHOLICVM

AMPLISSIMIS MVNERIBVS;

VNA CVM DOMO AC LIBERIS

AD IESU HUMILITATEM AC LABORES

SE CONFERENTI.

PROGRAMMA

Ex Psalmo Vatis Regii 5. *verſ.* 13.

Per modum prognoſtici.

Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt Nomen tuum, quoniam Tu benedices Iuſto. Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.

ANAGRAMMA.

Antonius Iulius Brignole, Notos, Subditos, Legationes, & Munia, nocituraque bona; nec non cautè totum mundum nutu, voto, teque dimiſit.

Vtrobique reperiuntur

Litteræ numero pares.

6.	3.	3.	3.	9.	2.	11.	3.	5.	13.	12.	2.	3.	7.	12.	14.
A.	b.	c.	d.	e.	g.	i.	l.	m.	n.	o.	q.	r.	ſ.	t.	v.

EPIGRAMMA.

ASpice BRIGNOLI depicta in imagine Vultus,
Hic vir hic eſt ſummis par, propiorque viris.
Clarus avis, opibus præſtans, ſed major honore
Dum ſprevit faſtu quidquid in orbe tumet
Veſte latens IESU. Mirare ipſumque nec ipſum
Non niſi deſpectus, qua latet eſſe puta.
Omnia contempſit qui ſe, pedibuſque premendo
Major ab abjecto, dum bene calcat, erit.
Dum ſequitur IESUM: mundum fugit; omnia liquit;
Se ſimul in Chriſto perdidit, & reperit.
An poterat trabeas inter, faſceſve, Tiaraſve
Altior obſequium ſeque probaſſe Deo?
Non. Melius latitat ſub nomine tectus IESU,
Tutius hunc pugilem decolor umbra tegit.
Quo ſcuto latuit, latuit victoria ſcuto:
Sic bene pugnanti, pugna corona fuit.

TRANSLATOR LECTORI.

S.

SVrrurpatus curis meis gravioribus tantillum otii, quo tibi, & universo orbi, etiam hæc gesta P. Antonii Iulii Brignole publici iuris facerem; sicut feci non ita pridem in transferenda vita Cæsaris Caietani Novitii nostræ Societatis, quam multis non displicuisse, est quod mihi gratuler. Breviter monitum te volui benevole Lector me sequutum prope de verbo ad verbum phrasim Italicam Autoris P. Ioannis Mariæ Visconte, ne quæsitis phaleris nudam veritatem, quæ simplicitate gaudet, periculo exponerem, pigmentis non necessariis offuscandi: nec enim

enim viri spectata virtus, iis fucis indiget ad commendationem. Exemplum dedit huic sæculo eiusmodi, vir id ætatis, & dignitatis plane eximius & admirandus, quod ascititiis coloribus obscuretur potius, quam illustretur. Vitiosa larvam ambiunt ut pallientur & decipiant; non quæ ex sua virtute pretium habent. Quæcumque hic leges virtutum in religiosa vita prorsus singularium, humilitatis, zeli animarum, internæ externæque mortificationis, contemptus sui, laboris indefessi, regularis observantiæ, obedientiæ & unionis cum Deo non intermissæ documenta, in quorum exercitatione vixit perpetuo & immortuus est; imitationem postulant potius quam oblectationem; quamvis nec hæc fortasse defutura est iis, qui teporem suum gaudent eiusmodi adminiculis excuti, & inflammari ad fervorem. Omnibus indiscriminatim qui suæ alio-

rumque ſaluti ex profeſſo incumbunt, hoc opus utile fore confido: ſed potiſſimum eos, qui verbi Dei præconio affixi ſunt, hic compello; ut ab hoc Paulo diſcant, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, non in commodorum ſectatione, & auditorum acclamatione, ac neſcio quibus lenociniis ſui, & aliorum, ſibi ablandiri: ſed quod apoſtolici muneris eſt, annuntiare Chriſtum & hunc crucifixum *magis factis quam verbis; quorum hæc aërem verberant, illa in corda etiam lapidea impetum faciunt, ut emolliant, & muros Iericho ad tubæ evangelicæ clangorem ſubvertant. Hæc Chariſmata meliora æmulentur, quibus ſemen verbi divini commiſſum eſt, ut aliquando audire mereantur illud Patris familias cæleſtis, quando veniet operariis ſuis diſtributurus mercedem:* Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis; *talen-*

ta

ta mea bene ad censum collocasti; lanam ovium mearum non totondisti, sed eas herbis salubribus pavisti; ubi latrandum erat, voci non pepercisti; plus vita quam sermonibus docuisti; & gloriam meam ubique opportunè importunè propagare studuisti, intra in gaudium Domini tui, *qui strenuè pro se laborantes denario dignatur æternæ beatitatis, hoc est fruitione summi boni, ad quod ut finem ultimum, nisi decipi malimus unicè adspirandum: quod ut cunctis eveniat seriò opto. Nec aliud habeo quod adiiciam; nisi velle me ut scias, Tibi huius libelli translationem non tam mihi acceptam referendam, quam R. P. Nathanaeli Sotuello; qui iterum huius Synopsis exemplar Italicum mihi submittere Roma dignatus est, ut per me latinè loqueretur. Vale, & fruere.*

PRO-

PROTESTATIO

AUCTORIS.

CUm S. D. N. Urbanus Papa VIII. die 13. Martii anni M. DC. XXV. in Sac. Congregatione S. R. & universalis Inquisitionis decretum ediderit; idemque confirmaverit die 5. Iulii 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum qui sanctitate sive martyrii fama è vita migrarunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque tamquam eorum intercessionibus accepta à Deo beneficia continentes, sine recognitione & approbatione ordinarii; & quæ hactenus sine ea impressa sunt nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iunii 1631. ita explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; bene tamen quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio quod illis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana; sed

ſed fides tantum ſit penes auctorem. Huic decreto ejuſque confirmationi, & declarationi obſervantia & reverentia, qua par eſt, inſiſtendo; profiteor me haud alio ſenſu quidquid in hoc libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quam quo ea ſolent quæ humana dumtaxat auctoritate; non autem divina Catholicæ Rom. Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur; iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adſcripſit.



AP-

APPROBATIO
R. P.
PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Societatis IESU per Flandro-Belgicam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi factâ à Patre nostro *Ioanne Paulo Oliva* Præposito Generali ejusdem Societatis, concedo CORNELIO WOONS Typographo facultatem imprimendi, *Synopsin brevem Vitæ ac virtutum P. Antonii Iulii Brignole* è Societate IESU collectam idiomate Italico à *P. Ioanne Maria Visconte*, & latio datam à *P. Francisco l'Hermite* ambobus ejusdem Societatis Presbyteris, & à deputatis ejusdem Societatis Theologis examinatam & approbatam. In quorum fidem has propriâ manu subscriptas consueto officii mei sigillo muniendas curavi. Mechliniæ 13. Martii 1671.

LAURENTIUS van SCHOONE.

AP-

APPROBATIO.

INfrascriptus examinavi librum, cui titulus, *Brevis Synopsis Vitæ ac Virtutum P. Antonii Iulii Brignole è Societate* IESU, *qui prius fuit Marchio Gropoli in Hetruria Filius Ducis & Senator Serenissimæ Reipublicæ Genuensis ejusdemque Orator ordinarius ad Regem Catholicum collecta idiomate Italico à P. Ioanne Maria Visconte ad usum Provinciæ Mediolanensis ac deinde latio data à P. Francisco l'Hermite ut omnibus nationibus communis fieret ambobus ejusdem Societatis Presbyteris*, in quo nihil reperi quod bonis moribus aut S. R. Ecclesiæ Catholicæ adversetur, attenta etiam protestatione in initio præfati libri facta, censeo eumdem posse utiliter in lucem evulgari. Datum Antverpiæ 6. April. 1671.

AUBERTUS *vanden* EEDE,
I. V. L. Canonicus & Archidiaconus, Antverp. Librorum Censor ordinarius.

SUM-

SUMMA PRIVILEGII.

CAROLUS Dei gratia, Rex Castellæ, Arragoniæ, utriusque Siciliæ, &c. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, &c. Comes Flandriæ, Arthesiæ, &c. Diplomate suo sanxit ne quis Librum, cujus Titulus est *Brevis Synopsis Vitæ ac Virtutum P. Antonii Iulii Brignole è Societate* IESU, præter CORNELII WOONS Typograph. Antverp. voluntatem ullo modo in Belgio intra novem annos proximos imprimat, aut alibi impressum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venalemve habeat. Qui secus faxit, confiscatione librorum, & aliâ gravi pœnâ mulctabitur, ut latius patet in litteris datis Bruxellæ, die 18. Aprilis 1671.

Signat.

LOYENS.

BRE-

BREVIS SYNOPSIS DE VITA ET VIRTVTIBVS P. ANTONII IVLII BRIGNOLE GENVENSIS

E Societate Iesu

Ante ingressum in Religionem Marchionis Gropoli in Hetruria, Filii Ducis & Senatoris Serenissimæ Reipublicæ Genuensis Eiusdemque Legati ad Regem Catholicum.

INTRODVCTIO



Os qui noverunt de facie, aut etiam ex fama P. Antonium Iulium Brignole, persuadeo mihi graviſuros, ſe poſſe vi-

dere in charta expressa aliqua lineamenta, & actiones à virtute commendabiles, quas in isto bono Patre, aut observarunt, aut narrari audierunt, furtim oblivioni subductas, invita ejus modestia, etiam in tempore maxime invido & rapace: ac proinde erit admirationis, & displicentiæ objectum, quod tam paucæ fuerint collectæ tamquam longe inferioris exspectationis, quam conceperant omnes de viro, qui tota sua vita se occupabat operibus virtutum multiplicibus, & magnitudine præclaris exercendis. Singularis præstantia animi ejus, sive naturæ dotes spectes, sive gratiæ quibus erat mirificè ornatus; non solum conciliavit ei opinionem promiscuam, fuisse hominem nostri sæculi maximè eximium: verum etiam impulit calamum veracem unius, qui perspecta habebat virorum magnorum encomia, ut scriberet: Patrem illum ejusmodi fuisse heroem, qualem singula bina sæcula, nedum unum non spectarunt. Atque ita scripsit

P. N.

P. N. Ioannes Paulus Oliva Generalis, P. Francifco Vafco Provinciali Mediolanenfi, accepto nuncio de ejus felici tranfitu ad vitam meliorem. Verum enimvero contigit P. Antonio Iulio illud, quod folet evenire viris magnis in quocumque genere; qui quoniam confueverunt operari femper eminenter, pauca eorum opera obfervantur, ut excellentia. Vnde complures percunctati quid in eo ædificationis, & virtutis advertiffent? Repofuerunt: quod fuerit homo infignis probitatis, quæ vulgus excederet; fed ad actiones peculiares, quod attineret, quia erant affiduæ in quibus fplendor virtutis oculos perftringeret, pauciffimas fe adnotaffe. Ita quidam Pater prudentiæ laude præditus, qui ei ad aliquod tempus Mediolani convixit, poftulatus aliquid de virtutibus ejus producere, refpondit; pauca fe poffe adferre in particulari, eo quod pauca obfervaffet quæ deligeret, ubi omnia erant delectu digna. Attamen multa fe fcire in

 ge-

generali: videlicet, quod in omnibus ſuis actibus oſtenderet ſingularem ſuæ vocationis æſtimationem; & in vita religioſa ſummam obſervantiam, conjunctam cum ſingulari modeſtia; ſtudium magnum orationis, cum magna devotione in rebus ſpiritualibus; ferventiſſimum zelum ſalutis animarum; teneritudinem caritatis erga infirmos, & noſtros; decumbentes quoque in noſocomiis, incarceratos, & alios indigos auxilii ac calamitoſos, profundam humilitatem quæ eum ſemper ad infima loca abiiciebat; & omnibus cedere docebat; nauſeam omnium rerum mundanarum, & viliſſimum conceptum omnium quæ mundus extollit, & amplectitur; exquiſitiſſimam paupertatem, omnium ſuarum paſſionum refrenationem; in caſtigando corpore rigorem; exactiſſimam obedientiam: quarum virtutum omnium erat in ſuis actionibus ſingulare & vivum ſimulachrum. Iudicavi nihilominus oleum & operam me non perditurum, ſi ſpicilegium

gium hoc inftituam, & pauca licet, ne & illa obliterentur, vobis qui eum noviftis in folatium, & aliis omnibus in exemplum proponam; recenfens fimpliciter aliquas ejus laudabiles actiones, & defignans id in fingulis quo excelluit: fi prius leviter tetigero quædam digna memoria in vita fæculari. Si vero in illis perhibeantur aliqua ex natura fua indifferentia; accipiantur ut facta in finem bonum, nec requiratur illius interpretationis probatio vel teftimonium; quæ licet defint, non eft æquum propterea derogare fidem relationi, quafi fuerint partus inanes affectus nimis benigni ejus, qui eos fic fibi repræfentavit: quippe omnium non modo actionum, fed etiam affectuum qui eum ad operandum permovebant, habita eft notitia, vel immediatè ab illo, vel ab iis quibus aliquem radium quadamtenus fivit affulgere fuæ arcanæ illuftrationis, etiamfi non omnino expediat allegare auctores: fufficere enim puto quod illud præmonuerim,

nuerim, ut ille qui opusculum hoc legerit sit securus, nihil adducendum quod alienis commentis innitatur; cum sit certum, quod virtus gigantæa Patris, opus non habeat ad magnitudinem suam ostentandam, fabrica imaginationis per affectum seductæ. Porro fieri fortasse potuit quod nonnullæ res quas eo prolatum videbuntur minutiæ, nihilominus cùm non apparuerint ut pusillæ, oculis eorum quos ferierunt, & recordationi illorum qui illas fideliter retulerunt; in animum meum induxi non minores apparituras aliis; eo magis quod in supremo apice virtutis, & in difficilioribus ejus excessibus multum lateat subtilitatis. In persona multum dilecta etiam capilli in pretio habentur.

CA-

CAPUT PRIMUM.

Res memoratu dignæ P. Antonii Iulii in vita sæculari antequam statum Ecclesiasticum assumeret.

P. Antonius Iulius Brignole Genuensis natus est anno ab incarnatione verbi divini millesimo sexcentesimo quinto, die Iunii vigesimo tertio. Patrem habuit D. Ioannem Franciscum Brignole, qui primis functionibus à Republica illa adhibitus fuit, & missus Romam Orator ad præstandam Gregorio XV. creato Pontifici obedientiam ac deinde ad Ducis dignitatem assumptus anno trigesimo quinto supra millesimum sexcentesimum. Perfunctus demum suprema illa gubernatione migravit ad cœlum, ut potiretur præmio suæ justitiæ, pietatis, & eleemosynarum, quarum virtutum amabilis comitatus eum nunquam deseruit. Genitrix ei fuit D. Hieronyma Sale, unica filia D. Iulii Sale, quæ multis &

& amplis reditibus, prædiis, feudis, & aliis fortunæ bonis locupletavit liberos ſuos, atque ea de cauſa compellati ſunt Brignole Sale. Verum enimvero multo plus ex bonis gratiæ illis adjecit, per exempla ſuarum virtutum; illam enim laudem tulit, quod fuerit multum dedita operibus pietatis erga Deum, & miſericordiæ erga egenos, liberaliſſima erga pauperes; ſuorum commodorum curam omnem abjecerat, nullatenus vana & ambitioſa in cultu corporis quærendo, quo ſpectabilis appareret, aut ſui ſimilibus præferretur; ſed modeſtiſſima, utpote quæ ſemper deterrima viliſſimaque ſectabatur, & diu noctuque ſervilibus erat occupata. Ingenio feruido, & ardente in ſuis deſideriis, verum per virtutis exercitium multum moderato; benedixit deus iſti pari fructu quindecim liberorum: ſed meſſuit duodecim ex illis pœne in flore ætatis, reſervans ad maturitatem tres ſolos, videlicet P. Antonium Iulium, de quo hic nobis ſermo: & duas ſorores:

res: quarum altera fuit Domina Maria Aurelia, uxor Domini Ioannis Baptiſtæ Raggi, fratris & nepotis duorum Cardinalium Raggi: de qua perhibetur quod fuerit in dotibus, & ornamentis animi apprime ſimilis ſuo germano, magis propenſa ad ſtudia litterarum, quam ad mulierc ularum vanitates: Aliena ab omni libera converſatione, ſpectaculis, conviviis, & diverticulis otioſis; inimica omnis compturæ ſuperfluæ; liberalis, in eleemoſynas profuſa, cordata, humana, quæ nunquam ſinebat verbum ex ore elabi, quo quemquam contriſtaret aut læderet. Hæc ſat cito naturæ debitum exſolvit, anno nempe ætatis trigeſimo ſeptimo. Altera ſoror fuit Domina Maria Magdalena, quæ nupſit Domino Iacobo Durazzo, & genuit noſtros Patres Vincentium & Hippolytum: at quoniam adhuc vivit dum hæc ſcribo, ſecundum ſacri eloquii oraculum, *ne laudes hominem in vita ſua*; cohibeo me, ne tranſgrediar hoc conſilium, quod ſuadet ejus virtutem uſque mo-

do plus æstimare, quam laudare: quam ob rem revertor ad fratrem.

P. Antonius Iulius, ut unus & solus superstes è maribus, fuit educatus sollicitè, & accuratè excultus bonis moribus & litteris; in quem finem semper habebat domi, copiam Magistrorum qui habebantur eruditi, & habiles ad formandum. At ipse simul ac cœpit ingenii sui fœcunditatem percipere, doluit sibi ab iis non fuisse adhibitam culturam, cujus sentiebat se capacem; ac proinde ut proprio labore suppleret priorum præceptorum vel ignorantiam, vel socordiam; cœpit se dare studiis secundum mensuram cupiditatis suæ, insatiabiliter avidæ ad sciendum; adeoque cedendo isti propensioni honestiori, licet nimiæ, utpote quæ freno indigeret; ita abripi se sivit eorum amore, ut omnibus aliis ætatis suæ & mundi oblectationibus insuper habitis, nulla alia re se capi sineret; sed in illa sola se totum impenderet. Idque habetur ex ejus testimonio: fassus enim est postea, quod to-

ta die ſtudiis incumberet; nec hoc contentus noctes propè integras adiiceret, multa ſimul complecti deſiderans; quæ aſſiduitas & continuatio vires ejus ſenſim ſine ſenſu eneruavit; quippe licet bene ſano & robuſto eſſet corpore, poſt quinque nihilominus, aut ſex annos in iſta norma vivendi, ſenſit ſtomachum ita peſſumdatum, & caput ita debilitatum ut periculum ſubiret, ne ad id, quod tam ardenter affectabatur, prorſus inidoneum ſe redderet. Mitigavit ergo deinde aliquantulum indiſcretam illam ſtudendi aviditatem: ita tamen perrexit ſemper ſe occupare, & exercere in ſtudiis politiorum litterarum, ut immoderatio & exceſſus in ipſa moderatione videretur: ſiquidem quandoque quatuordecim per diem horas iis impendebat; quærebat modos ſomno multum detrahendi, ut tempus lectioni & ſcriptioni lucraretur; multum converſabatur & agebat cum viris eruditis, & litteratis quorum ſemper ſibi volebat domi aliquem ad manum, quibuſcumque

cumque expensis præsentiam ejus emeret; excitabat & fovebat academias & congressus virorum doctrina, & scientiis præditorum, à quibus doctior evaderet. Ratiocinabatur in publico cum gratia, alacritate, & elegantia, quæ par fuisset magno oratori; componebat, & elucubrabat, & in lucem producebat varia opera argutiis referta, quæ volitabant per manus eruditorum hominum, cum laude ingenii non vulgaris: quamvis aliquos ex his fœtibus postea purgatiori à se oculo expensos, opificii deformis censuerit ob vanitatem, qua erant palliati, & pigmentati; detestatusque sit potius ut monstra, & abortus, quam ut cognosceret ut partus sui ingenii. Et quando postea jam religiosus in variis civitatibus, nominatim Taurini, inter aliquos nobiliores aulicos acuti ingenii, & doctrinæ amantes, de iis mentio fiebat laudabilis, cum deprædicatione Auctoris: si esset præsens non respondebat verbum, sed demittebat oculos in terram cum humilitate de-

cora,

cora, non tantum congrua ei qui recuſat honorem, ſed ei quoque, qui ſe cognoſcit vituperabilem; & ideo libri qui ab eo fuerunt poſterius conſcripti & editi, erant argumenti Chriſtiani. Si alii antea habuerint aliquid levitatis, non profitebatur tum ſingularem virtutem; ſed felicitatem intellectus prodebat etiam in profanis, quæ tandem voluit omnia in Deum referri; adhibita lima, & ſublatis iis quæ nimis mundum principio ſapiebant. Porro ut majorem & meliorem vitam daret ingenii ſui monumentis, & lucubrationibus apud alios, qui ea evoluerent, & patriæ ſuæ ſingulari beneficio prodeſſet, promovendo eruditionem & lectionem librorum utilium; non contentus calamum impendere, adjecit & prælum; quod ut alliceret lectorem, è Belgio accerſivit typos elegantiſſimos, & pulcherrimos ſuo ære characteres: & cum illis aggreſſus eſt impreſſionem variorum librorum, quos ob præſtantiam præli, volupe erat manu verſare; bene meritus hac

praxi

praxi de bonis litteris, & maxime de Cicerone, quando sine offensione oculorum in characteribus magnis & augustis poterant ejus beneficio pervolui. Quamvis autem in principio permiserit omne genus librorum in sua typographia excudi, qui per manus eruditorum ambulant: postea tamen negavit hunc honorem charaterum tam præstantium, libris, qui non erant nisi ex parte digni: cumque reminisceretur initio impressa aliquot exempla *Pastoris fidi*: Sacerdotio initiatus, repente tot quot restabant, curavit in cumulum colligi, & consuluit quemdam virum Religiosum, utrum præstaret omnia Vulcano dedicare; an vendere, & pretium dare pauperibus? Secutusque est exactè ejus consilium, abdicans se omni illo prælo suis sumptibus, & auspiciis comparato, quod non præferebat in fronte hunc titulum, *imprimatur in tribunali virtutis*.

Talentum ejus non tantummodo occupatum in otiosis lucubrationibus librorum; verum etiam implicatum

tum rebus bonum publicum ſpectantibus, obtinuit æſtimationem parem meritis ſuis: ſi quidem adoptatus in ſenatum & Magiſtratum ſupremum ſuæ patriæ, ut erat integræ mentis, & in dicendo potens, promovebat opera & Negotia ſervitii divini, & utilitatis publicæ tam induſtriè, & cum tanto applauſu univerſorum, ut cum haberet Reſpublica res ſummi ponderis tractandas in aula Hiſpanica, electus fuerit præ multis aliis dignisſimis illo munere, & miſſus eo legatus ordinarius, cum numeraret tantum triginta ſeptem aut octo annos ætatis; quæ nondum erat par ſenatoriæ dignitati. Neque fefellit ſpem de ſe conceptam, quinimo auxit: etenim propoſuit rationes ſuæ patriæ coram rege Catholico cum tanta energia & efficacia, ut impetraverit, & miſerit decretum favorabile, una cum litteris ſuis, tam neruosè & bene dictatis, in certitudinem ſucceſſus, ut recitatæ in ſenatu fuerint cum extraordinario applauſu, & admiratione ſingulari.

Proſpe-

Prosperi hi eventus magna ex parte fuerunt accepti pro effectibus suæ eloquentiæ, posteaquam (ut dixit persona familiæ ejus intima) urserat suis argumentis, ita Regem & Comitem ducem, ut non haberent quod responderent: & ipse quam mox asseruit cuidam confidenti, quod arteriam regis tentasset & invenisset ad permovendum ejus affectum; scientiaque hac usus est tam dextrè, ut affectus animi commoti in vultu regis animadvertere liceret, ex potentia dicendi in isto flexanimo oratore. Atque ita deinde Rex qui erat perspicax, & non male judicabat de peritia hominum, non dissimulavit sensum de illo suum proferre, nedum invidere honorem laudum illi debitarum: enimvero dixit familiaribus suis, quod orator Genuensis esset in paucis litteratus. Nec laudes hæ regiæ steriles fuerunt; sed comitatæ stimulis efficacibus quibus ministri ejus impellebantur, ut accelerarent expeditionem in negotiis illius Reipublicæ; quando lentius, & pede, ut dici-

dicitur plumbeo, in ea se gerebant; adeoque subinde de Legato querebantur, quod plus posset apud suam majestatem, quam commodis suis adlubesceret. Non poterant tamen manere non stupore defixi & attoniti, de ingenio, sapientia, & dexteritate ejus in agendo; quod in illa aula illi peperit summam æstimationem, & reverentiam.

Finis illius legationis, fuit initium proximum ad propositum, quod concepit, valedicendi sæculo. Etenim revertens per mare cum uxore, & duobus filiis in triremi, tanta velocitate eam insecuta est pyratica barbarorum, ut fuerit in præsentissimo periculo ne in potestatem prædonum veniret. Tum enimvero quasi in theatrum producta spectandam se præbuit animositas & pietas sui timoris; quia quantumvis æqualis esset periculi magnitudini, nullum tamen signum edidit perturbationis aut dejecti animi; ne tantillum quidem, quod reverso domum, quidquam vultus amisisse ex maris intemperie, aut malacia videri potuerit.

Illico in tali articulo animos ſibi fecit, ſociorum in itinere erexit, induxit ut ſarcinas ſuas eiicerent in mare, atque ita leviorem facerent navim brachiis remigantium. His mille ſcuta addixit in præmium, ut nervos intenderent, & libertatem mancipiis ad remum damnatis; inde ad opem divini auxilii implorandam ſe convertens, oculos in cælum ſuſtulit, ſe commendavit, & neſcio quæ vota ad Virginem Deiparam nuncupavit; cohortatus eſt Chriſtianos, qui erant in navi, ut promitterent ſe per confeſſionem conſcientiæ noxas expiaturos, & in præſenti roſarium recitarent. Quid multa? favit benignus Deus, qui facilis exauditor eſt recurrentibus ad ſe in tribulatione, generoſæ ejus pietati. Poſtquam coronæ virgineæ recitationem auſpicati ſunt; afflavit propitius ventus, qui eos cito volatu devehens, ſpem pyratarum eluſit. Delatus itaque ad terram ſecuritatis exactè implevit, quæ ſpoponderat hominibus; & Matri Domini, adorans cum omni veneratione ejus imaginem miraculoſam, quæ colitur

litur Savonæ. Multo tamen favorabilior afflatus fuit, quem Spiritus sanctus illius cordi immisit; illi, in conspectu discriminis quod impendebat, repræsentando vanitatem rerum fluxarum, & incertitudinem illius fastigii, cujus jacturam prope erat ut faceret. Et de his omnibus se expedivit animo forti tam efficaciter, ut nunquam deinceps invenerit quietem, donec etiam corpore ab iis esset solutus. Fuerat quidem vita ejus in sæculo Christianè acta, & ad normam virtutis perpetuo instituta, ut posset esse contentus, & acquiescere lumini, quo in rebus divinis afficiebatur: quia continua occupatio studiorum non permiserat eum juventutem perdere in otio. Desiderium acquirendi honoris quod vitio affine est, virtuti eum applicaverat cum laboribus & exercitiis probitatis. Mens recta, qua erat præditus, fecerat eum justi & æqui in Magistratu acerrimum defensorem. Incumbebat tanta sollicitudine in bonam institutionem suorum liberorum, ut cum illi innotuisset filium natu majorem semel comœdiæ

interfuisse, confestim decreverit otiosis occasionibus subducere eum; & de facto protinus patria illum eduxit, & misit ad aliquas Italiæ partes lustrandas; ac demum Perusii reliquit commendatum, personæ virtutis amanti; ut invigilaret sedulo, ne juventutis perniciem, malum consortium, & societatem perditorum adolescentûm frequentaret: sed à peccatorum periculis procul haberet, semper utiliter & honestè occupatum. Nec solum filiorum, sed & familiæ universæ zelus ejus satagebat, ut viveret piè & Christianè. Hinc procuravit, ut singulis hebdomadis domi suæ explicaretur doctrina Catechetica, & super mensa communi inter edendum legerentur libri pii, quo non minus spiritualibus quam corporalibus cibis accumbentes pascerentur. Quin imo in totam se civitatem extendebat pia ejus vigilantia, & provida cura, ut media omnibus suggereret ad bene vivendum. Hæc injecit illi cogitationes juvandi & promovendi missiones per vicos & compita urbis. Consilium quod avidè com-

plexus

plexus Eminentiſſimus Archiepiſcopus Durazzo, operâ illud Eccleſiaſticorum, quà ſæcularium, quà Regularium exequutus eſt: qui ſucceſſivè varias regiones urbis magis frequentatas obeuntes, docebant rudem populum prima fidei & virtutum elementa, & frequentibus concionibus ad frugem inflammabant. Quod magis cordi habuit P. Antonius Iulius poſtquam charactere presbyterii fuit inſignitus; ut inferius dicetur. Arma, rixas, contentiones, indignationes, ſemper quam longiſſime ablegavit ab animo ſuo, à familia, & domo quæ videbatur Aſylum Pacis. Non audiebantur in illa unquam ſtrepere offenſiones, & turbulentæ vociferationes iræ impotentis; ſtatim ſi quid diſſenſionis, aut diſplicentiæ ortum eſſet, aut ut ſolet, minima ſcintilla choleræ inter domeſticos ſe proderet; ſubito accurrebat, & verbis gratioſis ac benignis prudenter eam ſopiebat. Non defuit illi tamen quandoque occaſio, in qua opus illi fuit uti Chriſtiana diſcretione in diſſimulando, & fortitudine in tolerandis

irritamentis offensionis, quæ potuissent animum erigere ad motus incalescentes impatientiæ, & cogitationes perturbantes; quorum tamen semper perstitit absolutus dominus; & ita sub fræno continuit, ut hæc iracundiæ subjugatio prorsus fuerit omnibus numeris absoluta; quod autem in quibuscumque occasionibus dominium illud passionis tam facile excandescentis integrum servaverit, habitum fuit pro generositate pectoris insigniter Christiani. Multò minus occupabat se unquam ludis illaudatis, chartarum pictarum, alearum; & hujuscemodi frugiperdarum oblectamentis. Apage, inquiebat, hanc perniciem male feriatorum, per quam jacturam faciunt non temporis modo, sed & fortunarum suarum, æque ac animarum: Itaque nunquam vidisses ea hominum otiosorum probra in ejus manibus; sed libri & calami serviebant illi aut ad exercitationem ingenii, aut in beneficium Reipublicæ, & subsidium magistratuum; & potissimum in curationem hospitalium, & aliarum fundationum piarum,

qua-

quarum tutelam libenter in se sumebat; aut ad acquisitionem omnium virtutum quæ condecorare solent, & perpolire vitam Nobilis Christiani. Verumtamen hoc novum lumen cælitus à Deo, ad eum modum & tam vivaciter immissum imperfectum suum ei patefecit, & securiorem sanctitatem in forma tam venusta oculis obiecit, ut eum totum in amorem sui rapuerit, itàque inescavit; ut non suspiraret nisi libertatem, & solutionem à vinculis, quæ eum cogebant habere partem cum mundo, & prohibebant quominus evolaret ad locum, in quo posset totus esse cum Deo.

CAPVT II.

De eximiis Eleemosynis P. Antonii Iulii.

ANtequam videamus eum pertigisse ad possessionem desideratæ libertatis, cernamus quatenus pretio auri eam emerit, quæ licet omni auri & argenti copia non benè venditur,

tamen eorum metallorum largitionibus comparatur. Et ipse quidem eam comparavit promerendo singulares, & extraordinarias Dei gratias suis singularibus & multum extraordinariis eleemosynis; quarum ut videantur aliqui actus heroici; nescio an debeam ordiri ab una donatione, quam adhuc juvenis, permittente Patre suo, fecit Reipublicæ centum millium librarum, ad instruendam & armandam triremem: etenim posset nonnullis videri magis esse liberalitatem civilem, quam pietatem Christianam; & genium ac propensionem naturæ, quam violentiam & robur voluntatis. Verumtamen sit ita. Serviat tantum pro uno ex illis præsagiis virtutis, quæ nonnunquam coruscarunt in prima ætate sanctorum. Id si vel sic sumatur, negari non poterit quin fuerit insigne omen secuturæ præclaræ virtutis. Et vero per mortem Patris dominium absolutum adeptus bonorum, quæ hæres adiit; cœpit quantocyus se strenuè iis exspoliare, Deum faciens Dominum in suis pauperibus; tam largiter, ut homines ca-

ti & prudentes, intelligentes quam profusus esset in Eleemosynis distribuendis, eum compellarent *Præfectum ærarii divini.* Conceptus melius veritati consonans, quam fuerit nonnullorum aliorum, qui stupefacti de tam largis eleemosýnis, quas sciebant à manu ejus scaturire; cum non possent sibi persuadere, esse omnia munificentiam incoactam ut reapse erat; opinabantur quod per eas grandibus obligationibus Iustitiæ olim contractis faceret satis, quarum onus majores sui per hæreditatem ei reliquerant: Harum tamen ne vestigium quidem ullum, vel minimum extabat: nam facultates illi relictæ non solum liberæ erant omni obligatione conscientiæ; verum etiam à vinculis, & legibus dotalibus, & fidei commissis solutæ. Pergebat ergò se exhaurire prodiga largitionum consuetudine, in tantum, ut qui proventus ejus administrabat, animadvertens non facere dominum suum finem dandi, putarit revelandum Confessario ejus, qui per id tempus erat P. Constantius Bovoni; à quo admo-

nitus fuit ne daret amplius, quam reditus inferrent, quo familiæ ejus a damnis & debitis caveretur. Respondit: Pater mi, apud animum meum perputavi quod cum sis Pater meus spiritualis, deberes me impellere ad satisfaciendum pro meis peccatis, per bonas & amplas eleemosynas, potius, quam me ab iis faciendis deterrere; sed facile assequor te hanc facere admonitionem, ex alterius suggestione. Quamobrem R.V. boni consulet, si ego pergam dare Deo, quo Deus vicissim mihi det, relicta deinceps ei cura meæ domus. Et profecto videbatur pactum iniisse cum Deo quandoquidem in isto homine justo, verificabatur illud Psalmi: *Tota die miseretur & commodat, & semen ejus in benedictione erit.* Reliquit enim domum suam locupletatam à Deo innumeris divitiis & liberos suos non hæredes dumtaxat suæ munificentiæ, sed etiam amplis facultatibus paternis dotatos. Itaque non minus fecit, quam dixit, secutusque est id quod conducebat ad extendendas & fœcundandas manus Dei erga se liberales.

Facile

Facile erat cognoſcere in Eccleſiis, ſi ipſe eſſet præſens in concione, ex ſacculis aut ſcutellis Eleemoſynariorum: in quos ſolebat effundere omnes nummos aureos, quos ſecum portabat; qui erant ſemper bene multi: Et hic erat mos ejus communis in omnibus concionibus jejunii quadrageſimalis. Præterea ſolebat dare multas ſchedas variarum ſummarum, & aſſignationum pecuniæ, etiam millium ſcutorum, quæ reciperent ex menſa collybiſtica S. Georgii, & aliis Banckis, ut vocant, ut per perſonas ſibi probè cognitas & fidas diſtribuerentur pauperibus & Religioſis. Iuvenem nobilem ſibi utcumque ſanguine junctum, ſed pauperem, multis annis aluit in ſtudiis, & ſuis ſumptibus ad doctoratus lauream evexit, atque in ſuis ærumnis ſublevavit; donec cœpit honoratis officiis perfungi. Semper quoque pecuniis ſolatus eſt ipſum, Matrem ejus, & fratres nonobſtante peſte quæ tunc graſſabatur. Mendicis quibus caſu fortuito occurrebat ſubinde, dabat nummum argenteum & au-

reum:

reum: de quo illi attoniti & quasi de inusitato favore stupefacti, quando timebant ex quibusdam indiciis, ne moneta haberetur adulterata, nec idonea ad expendendam; dicebat: nolite timere filii de sinceritate, est bona, & sincera, & si non possitis expendere, recurrite ad me & commutabo cum alia vobis probatæ. Tum enimvero brevem istum stuporem pauperum occupabat multa lætitia, quæ provocabat, & ipsos, & alios, ut confidentius redirent, etiam cum fictionibus & artificiis ac imposturis ad persuadendum se esse indigos auxilii; quibus semper stipem largiter subministrabat, nec examinabat utrum subesset necessitas, quam allegabant nec ne? ne deprehenderet commentum callidæ paupertatis. Et quoniam aliquando edoctus fuit, hac sua facilitate, aditum aperiri ad astutias, & fraudes, respondebat: multum mihi dolet, quod cognitus sim tam parcus erga pauperes, ut cogantur studere inveniendis praxibus coloratis, ad eliciendum opis aliquid è manibus meis. Non solum charitas

quæ

quæ omnia credit eum inducebat, ut dissimularet technas eorum, verum etiam illa ipsa, quæ *omnia sustinet*, docebat patienter tolerare importunitatem, solum ostendens sensum aliquem, cum perquam admirabili, & leni correptione. Præfixerat sibi regulam quam inter proposita notaverat à se practicanda: *semper cum mansuetudine respondere pauperibus, quantumvis importunis & molestis, absque omni signo impatientiæ: & si quisquam me verbis pungat, dare illi eleemosynam.*

Sed istud poterat videri utique instar roscidæ stillæ, aut guttæ crassioris, quæ à beneficentia ejus profluebant; non autem perinde se habere ac larga pluvia continua & abundans. Hanc desideras? dum legati munere functus est in aula Hispanica, super alias eleemosynas quotidianas stabilem assignabat integro hospitali Italorum, præterquam quod integris familiis provideret tam de cibatu, quam vestitu. Videbatur odoratu subolfacere necessitates publicas, & privatas, ut tempori succurreret. Aliquando con-

contigit Dominos Magistratus deliberare de restringendo vel numero infirmorum, vel specie servitii, permotos defectu proventuum, quos deprehendebant solito minus inferre. Interea dum hæc consilia agitarentur, evocatus est foras Syndicus nosocomii, qui hoc narravit, & dati sunt illi absque alio dicto in sacculo quingentæ pistolæ aureæ, cum quibus lætus rediit ad concilium, & dixit: non placet Deo, ut contrahatur auxilium suorum pauperum; curæ fuerunt suæ paternæ providentiæ: ecce pignus: & hoc dicto excussit saccum super mensa, & pistolarum cumulus prodiit: quod visum est illis dominis divinæ manus prodigiosum beneficium, & excitavit eos ad æmulandum facinus egregium quod videbant. Post aliquam moram temporis cognovit Syndicus instrumentum divinæ munificentiæ fuisse in liberali manu istius *præfecti ærarii divini*; quamvis strictè prohibuisset ipse, ne ullus patefaceret, & evulgaret. Erat fortasse valde deditus ad succurrendum isti loco pio charitatis, ex alia occa-

occaſione ; ob quam condemnabat ſuam liberalitatem ; ad operandum quaſi ex juſtitia. Curaverat recitari quædam ſua opera in ſcena, quæ non ſolum propter elegantiam talis actionis appoſitè exhibitæ, ſed etiam ob æſtimationem ingenioſi auctoris, allexerat ad audiendum ingentem concurſum Nobilitatis. Scivit poſtea quod illo die fuiſſent indulgentiæ propoſitæ in Noſocomio ; ubi moris erat pietatis gratia, potiſſimum nobiles, largis eleemoſynis ſe comparare ad eas lucrandas ; ſed quod per illam diverſionem tam numeroſæ nobilitatis attractæ ad ſpectandam comædiam, admodum pauci ad illud opus devotionis concurriſſent ; noluit permittere, ut ſuæ recreationes dolori, & fraudi eſſent pauperibus : ac proinde miſit hoſpitali tot ſcuta aurea, quot videbantur fuiſſe Dramatis ſpectatores ; & gratioſè addidit quod errorem calculi, ſi fortaſſe quis irrepſiſſet, dein abundantia ſuppleret. Alia occaſione cum per caritatem annonæ multi pauperes penuriam paterentur, maximè ad flu-

vium Genuensium, ivit ipse quodam die quæsitum unum è societate Patrem magnæ autoritatis, bonitatis, & fidei; dixitque illi se habere nescio quid secreti communicandum. Secedunt seorsim in cubiculum, ibi producit crumenam quam portabat sub axilla, in qua erant mille pistolæ aureæ; posuitque in mensa dicens Patri: Pauperes fluvii satis diram patiuntur famem & inediam, R. V. procuret ut illis succurratur. Ita factum est, & curatum ut per fidos illius terræ accolas, egentibus biscoctus panis, fabæ, sal, similiaque obsonia distribuerentur, in magnum & dulce levamen famelicæ plebis, potissimum accedente aliorum divitum imitatione, qui hoc exemplo pietatis ad paria præstanda permovebantur. Licet autem adjurasset Patrem, ne ulli revelaret (quod fecerat) cautela tamen ista non sufficiebat, quin fulgor ille auri fuerit major, quam ut lateret; cum nummi illi essent affabrè cusi, ut viderentur data opera ad hoc recenter figurati, quo essent dignum tributum illi domino dominantium, qui pieta-

tem

tem Christianam æstimat minimis suis impensam: non absimili modo quo bonus quidam olim Catholicus in Anglia, æstimabat pœnam & supplicium suæ religionis, debere solvi moneta aurea optima, pulcherrima & perfectissima. Atqui quemadmodum in avaris crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit, & eam in potestate habere, desiderium acuit plus habendi; ita in isto præclaro Eleemosynario evenit, ut dando sentiret sibi sitim provocari ad plus largiendum. Capsulas pecuniarias, quales solent devehi ex Hispania, singulas gravidas viginti millibus regalium argenteorum, prout advenerant, exonerabat subinde de mane in Vesperam totas in sinum pauperum & calamitosorum. Semel autem cum advectæ essent ex Hispania aliquantæ tales arculæ regalibus plenæ; Domina Mater illius jussit eas deferri in quoddam cubiculum destinatum ejusmodi rebus magni pretii custodiendis; nec se offerebat occasio eas collocandi ad censum, quo fructum facerent. Rogavit ergo Dominum Ioan-

nem Carolum Brignole, ut diligentiam adhiberet ne longo tempore pecunia illa maneret ſine emolumento otioſa. Non neglexit rem commendatam exequi Amicus; & intra dies non multos miſit qui arculas illas apportarent, inventa commoditate de iis diſponendi: ſed diligentior fuerat charitas. Vadit Domina ut curet deferri: nec offendit vel unam. Quid illis factum? Intelligit quod Dominus Antonius Iulius præceperit omnia diſtribui inter duo hoſpitalia, pro officiis pauperum. Quid ad hæc Mater? Ut matrona perquam pia, vehementer lætata eſt, & gratias egit Amico, curavitque ei dici quod pecunia illa optimè eſſet collocata ad menſam, ubi perdi non poterat. In multis hujuſmodi eventibus bona ejus mater non ſolum edocta erat acquieſcere, ſed etiam animata ad gaudendum, quando bonus ejus filius, ut ſolitus erat dicere, ex luto faciebat aurum: Atque adeo potuit illi plus placere eleemoſyna multò nobilior ab ipſo facta paulo antequam ſe redderet Religioſum. Non reſtabat

alind

aliud quod daret, ex iis quæ à Deo acceperat, præter capitalia fideicommissi, & dotalium bonorum, quam summa quadraginta millium scutorum, quæ servaverat dispositioni suæ liberæ, & data erant ad censum supra Montem Salis Florentiæ, eratque optimus reditus. Id cum sciret, determinatus dare deo pretiosissima, & dignissima dona, quæ per se fieri possent; ivit quodam die ad publicum Tabellionem, & jubens fieri instrumentum authenticum, dixit: Ego ad talem finem facio modo donationem irrevocabilem pauperibus talium bonorum &c. reservans mihi tantummodo jus applicandi fructus, iis pauperibus, quibus visum fuerit, donec vivere dabitur: Atque ita exultans quod non haberet deinceps quidquam pretiosi in suo arbitrio, de quo posset disponere, nisi seipsum; subito cogitavit se totum transcribere Deo, prout paulo post fecit. In hanc rem tamquam indubitatam & certam, conspirant diversi optimè informati de rebus P. Antonii Iulii, quod ille non ita pridem, quam So-

cietatem ingrederetur, elargitus fuerit necessitati pauperum uno die, & in una donatione semel & simul, quadraginta millia laminarum argenti. Opus misericordiæ, & sanctitatis tam egregium, ut quemadmodum bene observavit sapiens quidam religiosus, in uno consistorio in quo coram Paulo V. super relatione de gestis S. Caroli Borromæi, agebatur de eo in album Sanctorum referendo; Cardinalis Farnesius pronuntiaverit: Quod majus volumus argumentum charitatis, & sanctimoniæ Cardinalis Borromæi, quam quod dederit pauperibus uno die quadraginta millia scutorum, ex venditione unius principatus? Et quidem fuit actio ejusmodi, ut pluribus dederit initium, etiam durioribus in credendo, æstimandæ sanctitatis S. Caroli adhuc viventis: Atqui post illum non est auditum simile exemplum in altero potissimum privato, *sed non est abbreviata manus Domini*: in isto, enim ejus servo tantopere se ampliavit, ut excitet non vulgarem admirationem, quod in libris, in quibus notatur ratio

ac-

acceptorum & expenſorum ; deprehendatur copia eleemoſynarum de anno in annum erogatarum tanta, ut ſolum decem ultimis annis quibus vixerat in ſæculo, aſcenderit ſumma ſupra octoginta duo millia, & ſexcenta ſcuta Romana ; & ſi ſingulis annis calculi ſubducantur eorum, quæ elargitus eſt, nunquam pauciora invenies quam tria, quatuor, & octo ſcutorum millia. Parciſſime dedit quando duo millia dedit, ſed cumulatè compenſavit illam parſimoniam ultimo anno ſæcularis vitæ, qui fuit 1651. in quo ſolo dedit Deo amplius quam quadraginta duo millia, ſexcenta & quinquaginta ſcuta Romana. Et hæ omnes largitiones tranſierunt per manus ſui Receptoris, & relatæ in libros rationum ejus ; & ipſemet poſtliminio ingenue faſſus eſt, plures alias à ſe factas nullo conſcio, & ſolum relatas in rationale Dei. Quin erat ita deliberatus ad dandum Deo, ut cœperit cogitationes animo verſare non ſolum de pecuniis erogandis, ſed etiam de rebus, & utenſilibus domus ſuæ pretioſioribus diſtrahendis. Quia ergo ha-

bebat multa vasa argenti elaborati, quæ rarum usum habebant: statuit illa liquanda curare, & capitale inde conficere, cujus fructus converteret in solatium pauperum. Prius tamen consuluit quemdam Religiosum oppidò prudentem & spiritualem, cum proposito ei obsecundandi, si quod parturiebat in mente, collaudasset. Ab eo tempore cœpit præscindere multas species rerum, quæ non videbantur adeo necessariæ, vel familiæ, vel sibi. Et contigit in hac parsimonia qua utebatur erga se in minutiis subtrahendis, quod redactus fuerit ad defectum habendi *unde tribueret necessitatem patientibus*, ea propter non solum ex amore humilitatis, sed etiam quia indesinenter impendebat pecunias suas in opera Charitatis, cœpit se vestire non tantum modestè, sed etiam pauperum more; & quando fuit Sacerdos indumentis se texit si non mendici, saltem quæ vilia & abjecta dixisses. Habitum gestabat & pallium extremè detritum, & deforme. Usque ad minutias devenit quas fortasse ridet stulta mundi sapien-

pien-

pientia, ſed magni æſtimantur, & practicantur ab iis qui ſunt ſapientes Christi, & callent ſapientiam ſanctorum in eleemoſynarum exercitio ſummè perfectorum. Sicut refertur de S. Thoma de Villa-nova, qui cum eſſet Archiepiſcopus Valentinus, ad reſarciendum thoracem, quærebat ſartorem qui minimum laboris ſui prœmium exigebat; quin imo ipſemet reficiebat detrita & lacera, ut plus ſupereſſet, quod poſſet in dotem offerre filiabus, quas in matrimonium collocabat. Imitatorem in iſto habuit P. Antonium Iulium, qui eo ſe demiſit, ut raro admodum barbam ſibi tonderi, vel radi curaret, ut pretium operæ in Eleemoſynas converteret. Ac præterea non jubebat barbi tonſorem venire in ſuam domum; ſed quando illi integrum erat, adibat ejus officinam, ut opera minoris ſibi conſtaret. Unde liquet quam altè ſibi in animo impreſſum haberet illud ſtudium, etiam cum ſuo incommodo, conſulendi neceſſitatibus calamitoſorum. Quod quandoque in verbis ſuis palam faciebat, quia ſiquis aliquando

ſe mirari oſtendebat, quod tam prodigus eſſet in eleemoſynis diſtribuendis, reſpondebat: *Ego per viam orationis non poſſum intrare cælum, quia non queo, vel non novi orare: Itaque conſilium mihi eſt experiri, an poſſim eo pervenire, conciliando mihi gratiam pauperum, ut recipiant me in æterna tabernacula.*

Et vero tantum effecit ut obtinuerit id quo collimabat: etenim fuit opinio diverſorum Regularium ſapientiæ laude præſtantium: mercedem illarum eleemoſynarum, fuiſſe tam notabilem vocationem ad vitam religioſam; quam quando exequutioni mandaverat, fuerunt qui illi ſcripſerunt congratulantes verbis ipſiſſimis Angeli ad Cornelium Centurionem. *Eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* Et ipſe quaſi recognoſcens tantum bonum, quod per illam virtutem aſſequutus fuerat, ne videretur illi ingratus; non neglexit eam exercere pietatem, quæ creverat ſecum ab infantia, quantum ei per moderatores ſuos permittebatur. Siquidem in libris rationum, quæ concernebant ejus media; inven-

tæ ſunt largæ eleemoſynæ, ejus nomine & rogatu factæ à Domina ejus matre de anno in annum, non tantum uſque ad annum 1652. quo ſocietatem ingreſſus eſt, verum etiam 1659. duobus antequam moreretur annis, ut ad incredibiles ſummas excreverint, quemadmodum ſuperius commemoratum eſt, duorum, trium, quatuor, & ſubinde quinque millium ſcutorum per annum. Et in ſuo teſtamento anno poſt ejus mortem, reperta ſunt præter alias ſummas minoris calculi, in legatis diviſim in tres partes ſectis, ſeptemdecim millia ſexcenta & quadraginta ſcuta Romana, quarum quartam partem aſſignavit loco pio, qui exſtruitur extra veteres muros Genuæ, ad excipiendos hoſpitio omnes pauperes vagabundos. Alterum tantum voluit impendi, ut de fructibus ejus proſpiceretur Eccleſiis pauperibus diœceſis Genuenſis, de ornatu miſſæ & altarium, & aliorum quibus egebant, ut in cultu divino decorum ſervaretur. Aliarum duarum quartarum partium pariter ad cenſum locatarum fructus annuos aſ-

ſignavit duobus Corſicæ Collegiis Societatis Aiaccienſi, & Baſtienſi; ut cum auctoritate Provincialis converterentur in beneficium ſpirituale & corporale incolarum illius regni; per miſſiones, & alia auxilia ad illud ordinata, pro arbitrio ſuorum Executorum; qui omnes erant homines præclaræ pietatis & prudentiæ; quibus ideo reliquit poteſtatem mutandi ſecundum occurrentia impedimenta; ita tamen ut manerent in perpetuum affixa operibus piis, nec ulli liceret divertere aliò effectus ſuæ Charitatis, ſive per mortem, ſive per lapſum temporis. Circa quod teſtamentum fortaſſe non erit abs re dare ſatisfactionem juſtæ curioſitati, quæ alicui poſſet facile incidere, uti incidit cuidam Patri perquam illi familiari, qui confidenter ab eo quæſivit: quare in alios tam profuſus fuiſſet, & Societati nihil ſuarum rerum reliquiſſet? Cui reſpondit in hunc modum: *Sum turpiter deceptus: quia cum ne verbum quidem mihi inſinuatum eſſet ab hominibus Societatis, qui meam vocationem direxerunt, & quorum conſilio uſus*

usus sum in abdicatione bonorum: credidi eos nullare opus habere: attamen si compertum habuissem id quod modo vidi, & experior, de paupertate, & indigentia prope omnium collegiorum Provinciæ; multo libentius applicassem mea Societati, quam ulli alteri operi pio: quia existimo ad majus Dei hoc futurum fuisse obsequium, & ideo subjunxit: modicum id quod retinuisset disponendum, quandoquidem de pluribus non posset, desiderare se relinquere Societati; sicut & fecit, fueruntque duo millia scutorum. Ita relatum est ab illo Patre, qui eum percunctatus est, homine magnæ virtutis, pietatis, & auctoritatis, adhibito ad primaria regiminis officia in religione. Ille vero quod Religiosus non poterat facere de suo, vel nomine suo, quia habebat filios ætate, & dignitatibus pares, ut se honorificè sustentarent; procurabat sudoribus suis quod daret, nunc mendicando, nunc consulendo & exhortando alios, ut in eleemosynis elargiendis essent liberales, & profusi; nominatim autem in concionibus, in quibus tam ardenter, & cum

cum tanta energia commendabat Eleemosynas, ut ex omnibus civitatibus ubi ad populum dixit, testimonia allata sint longe superasse earum collectam, consuetudinem antecedentem, & subsequentem aliorum temporum. Et in prima quadragesima quam dixit Genuæ, non aliter quam quemadmodum oculi semper sunt vitiosi, qui in sole maculas & obscuritatem vident, aut videre se putant; fuit à quibusdam ei vitio datum, quod nimium in eò calidè & ardenter ageret, perinde ac si studeret suadæ lenonicio aliis concionatoribus palmam præripere: quod cum ei fuisset relatum, uno mane quo prædicabat ad numerosissimum confluxum populi, finita prima concionis parte, vertit se ad Crucifixum, & quemadmodum scripsit, qui fuit præsens, cum insolita teneritudine cordis, cum hac apostrophe alloquutus est: Dilectissime IESU, ita conqueruntur de me nonnulli, quia utor terminis nimis importunis in petenda stipe pro tuis pauperibus? attribuentes hoc meo commodo, tamquam si ea arte quæram

nomen mihi & famam conciliare inter verbi tui Præcones? *Iudica me Deus*, qui potes ſcire, meam intentionem, & ſatisfactionem non eſſe aliam, quam ſuccurrere Indigentibus, pro quibus me etiam modo ſtatim vendere paratus eſſem, ſi gratiosè & cum honeſta calliditate in eam mancipii ſortem me coniicere liceret; ſed hoc me non terret. Proteſtor quod ſemper tanto ferventius in eorum favorem loquuturus ſum, quanto impotentiorem me cerno ad eos meis facultatibus ſublevandos quibus pro te, me voluntariè exui: Ita ille in ſpiritu fervoris. Et revera vita ejus tota quam in ſæculo traduxit, non fuit aliud quam perpetua exſpoliatio & abdicatio fortunarum ſuarum, ad acquirendam margaritam Evangelicam, pro qua denique *dedit omnia ſua, & comparavit eam.*

CA-

CAPVT III.

Virtutes magis præstantes P. Antonii Iulii assumpto statu Ecclesiastici sæcularis.

NOn duxit illum divina providentia ab uno extremo ad aliud, sed per modos vivendi inferiores, voluit transire quasi per media, ut in omnibus virtutum singularium relinqueret exempla. Atque ita continuo ut fuit reversus ex Hispania, cum periculo commemorato, probando finem infelicem humanæ magnitudinis, & celsitatis, dum ~~itaque~~ mente versaret, & cogitando ruminaret, quomodo fortunatus evaderet, & se expediret? Ecce Deus qui deducit justum per vias rectas, viam anno 1648. illi aperuit, non tamen sine sensibili ictu qui eum non mediocri dolore affecit, ex obitu Dominæ Paulæ Adorno filiæ D. Ioannis Baptistæ Adorno, thalami sui consortis, & dignissimæ æstimatione, quam de illa habebat. Utpote cum esset

ſet Matrona eximia, non tantum propter claritudinem ſanguinis, ſed multo magis ob virtutes animi ſingulares, alacritatem intellectus, urbanitatem morum, humana, ſapiens, ſolitaria, modeſtiſſima, & quæ in omni ſua actione erat in ſe reflexa, perinde ac ſingulariter devota, & ſenſata, ac prudens. Quamobrem ſeparatio ejus accidit P. Antonio Iulio tanto acerbior; nec aliunde habebat unde dolorem leniret, quam à devotione; quam ut in ſubſidium vocaret, recepit ſe in Novitiatum Societatis noſtræ extra Genuam; & quantumvis magna importunitate rogatus, ut in civitatem rediret; inexorabilis ibi aliquot diebus ſe cubiculo incluſit, & voluit obire ſpiritualia exercitia ſancti Patris noſtri, cum omni diligentia & pietate. Quotidie miſſæ ſacrificio miniſtrabat, & plures horas orationi impendebat, in qua non ſolum fuit repletus illa devotionis dulcedine, quæ amaritudinem tollit caſuum humanorum, ſed etiam luce clara, & forti cælitus immiſſa, continuo magis ac magis rerum caducarum frau-

fraudulentiam patefaciebat; atque ita novam viam monstrabat ad cœlum, & ut illam seriò, & citò sine mora ingrederetur suadebat. Cum cognovisset ergo quid, cum Dei auspiciis decrevisset, Dominæ Matri declaravit se velle statum mutare. Sed bona Domina, in quam per mortem nurus tota domus administratio devoluta erat, ad hæc inopinata nuntia tantopere consternata fuit, ut bonus filius ne nimium dolentem affligeret, conducibile putaverit executionem aliquantulum differre; nixus illa spe, quod temporis vel modicum intervallum, mœrorem maternum mitigaret. Atque ita in Senatorium ordinem adscitus, secundum morem istius Reipublicæ, ubi Senatores circumscribuntur certo numero, ipse quamvis non sine magna lucta, cedens consilio amicorum, & imprimis Patris, cui regimen conscientiæ suæ commiserat; cœpit functionem illam exercere, contentus arripere omnes occasiones variarum virtutum exercendarum & maxime opitulandi pauperibus, & oppressis admini-

niſtrandi bonam juſtitiam, & promovendi cauſas, & conſilia favorabilia pietati, & legibus dei. At illico nimis durum, grave, & aſperum apparebat illi jugum illud mundi; totus aſpirabat ad jugum leve & ſuave Chriſti. Ingrediebatur ſubinde in cubiculum boni cujuſdam religioſi cui confidebat, & ibat ſuſpirando tamquam ſi ingemiſceret ſub nimio pondere, & dicebat: *O Pater, quantum me gravat iſta toga ſenatoria! quantum me affligit? opus eſt ut illam commutem cum alia quæ facilior erit ad portandum.* In hunc modum affectus, denique poſt aliquot menſes in hac lucta tranſactos, cum non poſſet diutius imperare patientiæ ſuæ, ut toleraret illam oppreſſionem animi, & ut reſpiraret aliquantum, egreſſus eſt Genua cum propoſito morandi aliquot diebus Briſciani, ſiti ad flumen Sale, quod inter vapores temperatos vaſti lacus Gardæ, nativum vigorem, & aſperitatem aëris mitigat, & familiares ſibi facit delicias auriacorum, limonum, Cedrorum, & aliarum ſimilium fruticum, aliquo uſque æmulan-

do amænitatem fluvii Genuensis. Verum cum subsisteret aliquot diebus Brixiæ, casus qui evenit eum plus obstrinxit, ut cum grati animi significatione Dei Providentiam erga se extolleret, & adoraret. Certi Religiosi proficiscebantur ob negotia, quæ festinatò indigebant, inde Bresciam. Cumque esset fracta rheda qua vehebantur; eum rogarunt, ne retardarentur, ut sibi suam pro uno dumtaxat die commodaret: quod humaniter illis annuit. Egressi oppido & provecti ad aliquot passuum millia in locum solitarium; ecce assiliunt multi sicarii armati, & circumfusi rhedæ eam sistunt, ac admirabundi se videre solis Religiosis refertam: ubi est, inquiunt, Marchio Brignole? Et intelligentes eum Brixiæ hæsisse; indignabundi, utpote delusi, re infecta abierunt. Compertum deinde fuisse homines perditos & grassatores qui exploratum habentes ejus adventum, & iter quod intendebat, insidiabantur ei, ut caperent, & insigne litrum extorquerent. Unde ipse revertente Rheda, cum audiret, quam felici

felici eventu Deus remuneratus esset charitatem collocatam illis viris Deo dicatis; noluit in illam ditionem ulterius se intricare, in qua periculum incurreret libertatem suam carò redimendi, quam desiderabat Deo offerre: sed Genuam regressus est, secum tacitè reputans, quod si Deus illum liberasset illo periculo corporis, esset præsagium velle eum pariter liberum à periculis animæ; & monere, ut accelerarct egressum è sæculo. Hæc cogitatio aliquanto tempore ei privatim adhæsit, nec secum multum, aut cum amicis deliberavit quid sibi faciendum? Sex menses effluxerant ex quo in Senatorium ordinem cooptatus fuerat, quando expetiit missionem, prætexendo otium necessarium, ut majori cum fructu publica negotia prosequi posset. Deposita toga senatoria, recepit per manus Domini Cardinalis Durazzo Archiepiscopi, habitum Clericalem, & ordinatus sine intervallis Sacerdos, primum sacrificium Missæ Deo obtulit, cum singulari devotione festo Nativitatis Domini, in Sacello crucifixi

Castri, Ecclesia Reverendorum Patrum Dominicanorum, ubi est: monumentum, in quo conduntur exuviæ defunctorum familiæ Brignolianæ. Sacri dein ordinis gratia operata est in illo effectus sanctimoniæ singularis, unde se totum committens arbitrio Spiritus sancti, qui instinctibus valde validis eum impellebat ad virtutem minimè vulgarem; totum se dedit devotioni, pœnitentiæ, recollectioni vitæ spiritualis, & exercitio tantarum & tam præstantium virtutum, ut derepente rapuerint oculos totius civitatis; præcipuè duarum quæ fuêre humilitas & Zelus animarum, in quibus ad miraculum eminuit. Quod autem attinet humilitatem hæc fuit prorsus stupenda; & cum esset talis, qualis revera erat, contemptibilem se fecit mundo, despicatui habens splendores ejus, pompas, & vanitatem honorum, imo seipsum; idque tam cordatè, & secundum intellectum, ut quibusdam, qui non erant ita illustrati à Deo, videretur excessus. Gestabat vestes tam viles, ut æstimarentur à pluribus in illo inde-

indecentes. Idque movit aliquando ſacerdotem, qui illi erat convictor, ut uteretur induſtria, qua cogeret ad mutandam veſtem quamdam tritiſſimam; ſubduxit enim illam occultè, & ſubſtituit aliam, quam ille inadvertenter induit. Poſtea vero id comperiens, placide ſubriſit & dixit Sacerdoti: O quam ſplendidum me comparêre feciſti! nunc enim vero homines me aliquem eſſe putabunt, omnes me modo aſpicient. Et ſecurè quidem ſubjunxit Sacerdos: veſtem quam dedi, geſtare poteris; debebit utique ſervari, tametſi ea quam depoſuiſti æque bona eſſet in oculis tuis, utpote ex viliſſimis, & tam parvi pretii, quam poſſet geſtare pauper Religioſus. Recitabat frequenter officium divinum cum probo Societatis religioſo, commorante in domo profeſſa Genuenſi, cum quo magnam conſuetudinem contraxerat. Quadam die cum veniſſet ad ejus cubiculum, ut cum illo legeret Matutinum, Pater animadvertit eum indutum veſte ſat modeſta ex lana ſubtiliori, quam ſaiam vulgo vocant, ſed ma-

nicas ex alia materia; quod cum dedecere putaret, vultu ad risum composito ei dixit: Domine Antoni, non displicet mihi vestra humilitas, & tui despicientia æque, ac mundi; adeoque eas multum laudo: sed tales manicæ sunt nimis contra decorum habitus clericalis; non volo tecum ordiri Matutinum, nisi prius abieris domum, & curaveris assui brachialia consentanea vesti. Vade. Præstolabor dum redieris. Ita præoccupatus cum non haberet quod reponeret, recepit se ocyus domum, & reversus est cum aliis manicis, quæ vesti reliquæ quadrarent. Cognovit illico factum Domina ejus mater, & applausit, jussitque agi gratias illi Religioso, & in signum quod bene de se & familia meritus esset, symbola gratitudinis ei submisit. Alia vice postquam sæpius exprobratum esset ejus propinquis, in quos probrum videbatur redundare, coactus fuit sibi de alia veste providere, quod ea qua induebatur facta esset ad morem Hispanicum sine manicis; similis erat thoraci, qui cum esset ex panno prorsus

vili,

vili, reddebat abjectiorem & vituperio digniorem. Proinde reprehensus à suo statim Confessario, prospexit sibi de alia veste, in qua tamen paupertatis notæ non deerant; quia talem semper amabat & ambiebat, ut superaret respectum humanum, & contemptibilem se præberet. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo transiens Florentiam, ex occasione quod contenderet Romam ad annum sanctum; cum deberet invisere aliquos Principes celsitudinis titulo eminentes, à quibus favores multos receperat: ivit tam viliter vestitus, ut cum videretur pugnare cum honore debito personarum dignitati quas conveniebat, ut minimum oportuerit illum mutare pileum, cum alio Presbytero, qui cum illo itineri se dederat. Atqui vel sic, vestitus ita pauperiem redolebat, ut ab iis initio non fuerit agnitus; nec postea fuisset nisi loquela eum prodidisset. Eodem tempore anni Sancti, interea quo Romæ aliquamdiu subsistebat, tum ut lucraretur Iubilæum, tum ut promoveret ad maturitatem, cogitationes quas ha-

bebat de vita Religiosa amplectenda; ambulabat per urbem in habitu prorsus vili, & Sotana, ut vocant, brevissima. Multum rogatus est ut sumeret aliam, paulo honestiorem, & decentem, solum ex timore ne causaret aliquam perturbationem in sacrarii præfectis, qui ægre permitterent eum celebrare in tali lacerna. Quanto magis sui incurius erat, tanto magis se studebat exponere periculo alicujus vituperii, & contumeliæ; ut proclive fuit fieri in quadam solemnitate S. Apollinaris, in templo Collegii Germanici; etenim cum ita abjectè vestitus occupasset locum destinatum solis Prælatis, & Dominis quibus singularis honor debebatur; jamque se misisset in Genua, ut preces suas funderet; Pater unus, qui ex ejus vultu devoto & humili, suspicabatur esse personam vilis conditionis, jam accedebat ut eum juberet facessere ex loco illo honorato; & fecisset nisi ab altero per modum indignantis, & ob admirationem turbati, quæsisset, quisnam ille plebeia specie homuncio prima loca occupasset? Hic qui

qui eum fortè noverat, illum instruxit esse Marchionem Brignole fama celebrem, quo percepto, exortum est in errante, qui secundum faciem Iudicaverat; non minus confusionis, quam ædificationis.

Quando postea Genuæ se continuit, sæpe sæpius pedes obibat civitatem, intentus operibus charitatis; & ne luto inficeretur, attollebat ad eum modum vestes, ut cum esset interius pessimè vestitus, videretur mendicissimus Sacerdos omnium, qui erant in vicinia; quod licet aliqui interpretarentur fieri per inadvertentiam, aut distractionem sensuum, alii qui genium ejus noverant, facile assequebantur hoc eum data opera facere ut despicatui haberetur; quia idem faciebat adhuc postea cum esset Religiosus. Semel enim per tempus oppidò pluvium, quo plateæ erant cœno obsitæ, tollens Sotanam & pallium supra modum altius notabiliter, quam necesse erat; socio qui ostendebat se de eo mirari, dixit: quod amaret gestare vestes breves, quæ tantum pertingerent usque ad me-

dietatem cruris; cumque alter opponeret honestatem requirere, ut compareamus in publico, prout Religiosum decet, & potissimum concionatorem ac personam publicam qualis ipse erat: refutavit objectionem non alio dicto, quam quod de illo non esset sollicitus. Pari modo dum erat Sacerdos, non volebat habere famulum qui ei serviret: sed ut summum, quando necessitas occurrebat, conductitio utebatur, vestito instar Clerici. In publicis supplicationibus comparebat in toga penitus sordida, & paupere, instar communis Sacerdotis, & ibat inter primos minus honoratos & quasi clericos. Res quæ non erat minus efficacis exempli ad excitandam pietatem in Ecclesiæ Ministris qui cernebant illam extraordinariam modestiam, & devotionem in persona tali, quam olim Anglia vidisset, in magno illo Cancellario Thomâ Moro, qui togatus non erubescebat Sacrificantis ministrum se præbere. Agebat per id tempus cum omnibus, tanta cum modestia & submissione, ac si fuisset minimus omnium;

præ-

præſertim cum ſacerdotibus cujuſcumque conditionis: atque ita in epulo nuptiali Filiæ ſuæ non voluit intereſſe cum aliis conſanguineis & Dominis invitatis, ſed pranſus eſt cum aliis ſacerdotibus vulgaris notæ ſeorſum; quibus ut delicias faceret, ipſemet quærebat ex atrio convivali lagenas vini melioris: qua facilitate etiam minimis dabat ad ſe aditum, & fiduciam, ut in omni occaſione ad ſe recurrerent ſolatium reperturi, maxime in operibus ſervitii divini. Nec patiebatur ut vel unus ſecum uteretur terminis ſubmiſſæ humanitatis, quaſi majori deferens, & præeminentiam agnoſcens. Cui ut fidem aſtruam, contigit quod quodam die bonus aliquis Sacerdos adhortaretur ad frugem mancipia, ad triremem damnata, monitis valde idoneis; ingreditur navim humilis Dei ſervus, & ibi manſit ut eum audiret. Finita concione accedit ad illum, & prehenſa ejus manu, dixit ſe multum lætari, videre eum occupatum in tam ſancto exercitio charitatis: optare ſe illi laboris ſocium, ut in partem veniret merito-

rum-

rum. Sacerdos qui illud & alia plura opera pia exantlabat, respondit: messem esse copiosissimam & egere multis operariis; at dolendum quod tam raræ personæ zelo præditæ reperirentur, qui ad vineam illam excolendam, operam suam locare vellent: ac proinde non solum se eum libenter in adjutorem admittere, sed rogare & obsecrare, ut opem sibi præstaret quam posset. Hoc facto & acceptato, P. Antonius Iulius invitavit Sacerdotem illum ad ædes suas, & per plateas voluit omni modo semper eum à dexteris ponere, loco nempe honoratiori, quantumcumque ille reluctaretur; & tractavit insuper illum cum tanta significatione humilitatis & submissionis, ut in admirationem non parvam eum rapuerit, licet non cognosceret, & putaret gregarium Sacerdotem; multoque magis postquam ventum est ad domum. Si quidem tunc eum agnovit pro eo, quem fama sibi descripserat; voluit illum secum manere, multa officia humanitatis & amoris illi exhibuit, & statim cœpit ei opitulari in illo,

&

& aliis operibus Charitatis ad ſalutem animarum. Quæ fuit altera virtus, in qua excelluit eo tempore, quo fuit Sacerdos ſæcularis.

Et fuit profectò publicum admirationis prodigium, ſpectare alterum Ambroſium à *Sella Curuli* tranſlatum *ad Cathedram*. Hominem tantæ dignitatis, paucis menſibus poſt depoſitam togam Senatoriam, induere tunicam Clericalem, aſcendere pulpitum, & verbum Dei prædicare, non ad pompam eloquentiæ; nec ad oſtentationem ingenii, ut prius fecerat diſcurrendo eruditè in exedris doctorum virorum: ſed cum magno ſenſu Chriſtianæ pietatis, & ex zelo faciendi fructum in animabus, dans virtutem ſuis verbis non ſolum per ſinceritatem, energiam, affectum, & ardorem quo loquebatur ex corde & ſecundum veritatem: ſed per egregia vitæ ſuæ exempla, quin reprehendendo publicè ſeipſum cum multis lacrymis de anteactæ vitæ erratis, damnando & retractando vanitatem ſuæ converſationis, & operum à ſe editorum, condonari ſibi

bi postulans à Deo & hominibus; de malis exemplis quæ dicebat à se data, & maxime de scriptis à se evulgatis, quæ omni studio nitebatur supprimere, corrigere, aut ad minimum fidem & auctoritatem illis derogare. Interea cum hæc per civitatem spargerentur, ad conciones ejus fiebant concursus maximi dicentem audiendi gratiâ, vel etiam sicut contigit B. P. Francisco Borgia, tantum videndi.

Initium ejus prædicationis, originem sumpsit ex particulari quodammodo impulsu divino. Genuæ est Oratorium tertii Ordinis Sancti Francisci, situm ad finem graduum, quibus ascenditur ad templum Fratrum Minorum, in quo à Dominica Septuagesimæ usque ad quinquagesimæ, disturbandis petulantiis illius temporis, solent fieri exercitia devotionis per conciones valdè accommodas, argumentis validioribus sumptis ab exercitiis S. P. N. Ignatii. Quidam Sacerdos illi Oratorio affixus, sensit sibi inspirari stimulum ad invitandum, illum Dei servum, non ita pridem sacerdotio initia-

tiatum, ut opus illud tam Deo gratum in se sumeret, & quindecim ex ordine diebus conciones haberet. Ad quam propositionem humillimus homo oculos demisit in terram, & deinde cum profundo suspirio statim in hæc verba prorupit: O quam graviter aberratis Fratres mei! An ignoratis quis ego sim? Non meministis quam male me gesserim in Ecclesiis? O Deus! & percutiens manu pectus subjunxit: videbo, certe videbo libentius per alium id fieri; sed quæso juvate me; ut componam me ad emendationem. Verumtamen cum ardentius urgeretur; humilitas quæ eum moverat ad recusandum, movit ad acceptandum. Orsus & prosequutus est ergo omnibus illis consequenter diebus, tanto fervore devotionis, & tam fortibus stimulis usus est ad excitandam detestationem peccatorum, & pœnitendum de illis, ut insolito more fuerint tacti, & compuncti Auditores, qui toto illo tempore fuerunt frequentissimi, & nobilissimi: & re ipsa experiebantur illum effectum, quem P. Balthasar Alvarez desideraret

ſiderabat in omnibus Concionatoribus, maxime Societatis; quos dicebat debere eſſe tamquam in Calvario monte, unde omnes *revertebantur percutientes pectora ſua.* Et præſagium illud addebant: hic erit unus è Sanctis noſtri ſæculi; & ſi in primo ſuo experimento tantum poſſit; quid facturus eſt, ſi Deus illi vitam longiorem largiatur? Neque fructus illarum concionum ſiſtebat in vana quadam admiratione, & compunctione tranſitoria, quæ inſtar fumi evaneſcebat: ſed ſequebantur ſolidæ & permanentes converſiones. Sit una in exemplum. Invectus fuerat ex ſpiritu in brutalitatem, & damna graviſſima explicuerat quæ reſultant ex lethali peccato. Duo peccatores, qui callum obduxerant, & inveterati erant dierum malorum, quorum alter à ſeptennio, alter à decennio, & pluribus annis, non erant confeſſi, eodem veſpere quo eum audiverant, cum copioſis lacrymis voluerunt confiteri, & conſcientiam ſuam expiarunt cum magna pœnitudine, & eam continuarunt, affligentes ſe aſſumpta auſte-

austeritate vitæ insolita; in qua perseverarunt donec Pater misericordiæ, & Deus totius consolationis è periculis recidivæ eos sustulit, cum non dubia spe impetratæ salutis. Tam felicibus principiis animatus perrexit munere Ecclesiastico fungi in diversis templis, semper cum solito suo fervore & devotione; & impendere se in Oratoriis, triremibus, & alibi, operibus misericordiæ in auxilium animarum. Sed locus in quo magis assidue Zelum suum exerebat, erat in Congregatione Presbyterorum, quæ vocatur Missionariorum, sub protectione sancti Caroli Borromæi erecta & instituta, ex mandato & ope Eminentissimi Domini Cardinalis Durazzo Archiepiscopi Genuensis, ut esset cœtus hominum Apostolicorum & ferventium, & dignum instrumentum sui zeli, in cultura populi & Cleri. Quis non exploret hinc, quam industria fuerit ejus charitas, prætermittens, & dissimulans curam suæ domus, perinde ac si non haberet familiam, & solum attenderet progressui & incremento bonorum operum

primum in se, ac deinde in proximo? Explicabat se mirifice singularis diligentia, qua utebatur, in asciscendis sibi bonis operariis. Nec solum procurabat inducere Ecclesiasticos, qui essent vitæ exemplaris & famam habebant virtutis, etiam invitans illos ex aliis regionibus: sed venabatur etiam præsbyteros maxime dissolutos, & parum devotos; & quemadmodum ipse erat benignæ & amabilissimæ conversationis in tractando, modo sua auctoritate eos corrigebat, modo & multo magis sua affabilitate, & dulcissima influendi solertia se insinuabat, capiebat illos, & intoxicabat adeo, ut iis se aptando, & deducendo ad exercitia devotionis, quæ sub vesperam peragebantur, denique in prædam cederent, ne præda fierent: quia inescati à devotione & virtute, & reformati in habitu æque ac moribus, & ob inflammatas exhortationes erga Patrem addicti, denique maxima ejus charitate in bono firmiter stabiliti, convertebantur in idonea ad similes quæstus faciendos dei instrumenta. Atque hoc modo plu-

res

res lucratus eſt, tantumque emolumenti retulit in Eccleſiaſticis, ut iſta Congregatio illo adlaborante, intra tres annos quibus iſtius corporis membrum fuit & caput, fuerit in æſtimatione magnæ virtutis, & multiplicis fructus in populo. Porro cum his ſacerdotibus ipſe agebat tanto cum zelo erga ipſorum ſalutem, & ſimul benevolentia & humilitate, ut non minus exiſterent verecundi, quam animati. Præterea accurate practicabat quod in ſuis exercitiis ſpiritualibus propoſuerat, & annotatum habebat: *Sinam in Congregatione ſermonem meum interrumpi, & improbari meam opinionem; interrogabo autem & reſpondebo ſuaviter.* Verum cum ea dulcedine jungebat tantum fervorem in exhortando, ut qui per vices eum audivit, dicat: quod quando loquebatur, præſertim de amore Dei, videretur exſilire extra ſe, & ſupra ſe elevari, vocabaturque quidam Seraphinus: ſed ille hoc reſciens inficiabatur hoc ſibi nomen competere cum exploratum ſibi eſſet, ſe fuiſſe maximum peccatorem, & ſcandaloſiſſi-

ſiſſimum nobilem civitatis. Studium tamen à ſe adhibendum ut fiat talis, qualem fingerent, ne culpa ſua impediatur fructus animarum. Licet ita demiſſe de ſe ſentiret, nihilominus eum omnes aſpiciebant, & laudabant, tamquam exemplar perfectiſſimum humilitatis Chriſtianæ, modeſtiæ Eccleſiaſticæ, charitatis, & Zeli animarum.

In auxilium ergo populi, per ſe, & operam conferentibus ſociis laborabat indeſinenter. In miſſionibus quæ inſtituebantur per urbem, erat ſemper primus, ſemper alacer; nunquam fatigatus in operando, in ſudando, in ſe impendendo Oratoriis, Noſocomiis, carceribus, triremibus; in puellis periclitantibus vindicandis ab occaſionibus in quibus corrumperentur; in animabus è vitiorum barathro eripiendis, eaſque ſecuro loco ſtatuendis noctu diuque intentus, in procurando præterea iis ſubſidia temporalia ne eorum defectu ad vomitum redirent; in concionando etiam in publicis compitis & plateis: quibus laboribus Deus benedicebat eum multifariam per mul-

multiplices & notabiles conversiones: quemadmodum quando prædicabat in publico, lucratus est quatuor puellas & fœminas profligatæ vitæ, quæ post concionem in Ecclesia sancti Viti, se abjecerunt ad pedes ejus lacrymantibus oculis, postulantes opem spiritualem & corporalem, quo liberarentur ab infami illa vivendi ratione qua se prostituebant. Quod & illico fecit, ponendo in loco securo & suppeditando ea subsidia quibus opus habebant ut in bono stabilirentur. Multas ex ejusmodi mulierculis, multas inquam ad meliorem frugem reduxit, non solum publice concionando, sed etiam prostibula, & domos earum, etiamsi in medio populi sitæ essent: ipsemet adeundo; spe abreptus eas è sordibus suis extrahendi. Quod dum faceret dicebat: eo me dimitto ex solo amore Dei illius, qui me tanta charitate ex intricatis laqueis diaboli pertraxit ad statum salutis meliorem. Nec solum in meretriculis convertendis feliciter ejus desudavit industria, sed omnis generis peccatores sine numero Deo acquisivit:

sivit: uti jurato affirmat probus Sacerdos, qui semper lateri ejus in ejusmodi officiis adhærebat; innumeri peccatores qui cauteriatam conscientiam habentes in flagitis suis contabuerant, ejus concionibus emolliti, delicta sua planxerunt, & culparum suarum pertæsi, verbo dei, quod quasi facula, ut ipse loquebatur, ex ejus ore prodibat, in gratiam cum Deo redierunt, jam meliori igne inflammati. Impossibile est inire computum eorum, qui cœperunt & perseverarunt sanctè vivere solo exemplo & exhortatione illius servi Dei, qui non dumtaxat insignes peccatores, quasi primi nominis feras venabatur, sed omnis conditionis prædas insectabatur robustus venator, nec occasionem ullam capturæ præterlabi sinebat, licet videretur nonnunquam parum opportuna. Die uno Anni sancti, cum esset Romæ in Oratorio Ecclesiæ novæ S. Philippi Nerei, cui multum afficiebatur, casu evenit, quod offenderit ibi unum secum colloquentem, qui ad singula tria verba per nomen Dei jurabat: summe hoc ei displicuit,

cuit, & obfirmans animum ad remedium ei ſuggerendum dextre ſermocinari cum eo cœpit quamvis ignoto; & brevi ſuo modo agendi eleganti & ingenioſo, quem habebat familiarem, lucratus eſt ejus benevolentiam. Proinde priuſquam ab invicem divellerentur, inter humanitatis officia dixit: ſe habere quod auderet bona ejus gratia poſtulare, nec dubitare ſe quin facturum ſe promitteret; videlicet ut ne deinceps tam facile in juramenta prorumperet: & id ipſum, arte non præviſa captus pejerator, non gravate facturum ſe ſpopondit. Hunc in modum non ſolum Genuæ ubi potiſſimum retia ſua in capturam explicabat; ſed quocumque ibat ſuum Zelum circumferebat ad ſpargendum ignem divinum; adeoque cum aliquando ſe contuliſſet Savonam ex devotione erga Dei Matrem, quæ ibi miraculis claret, & gratiis, quas pluribus, eò pro auxilio impetrando accurrentibus, liberaliter impertitur. Hoſpitio acceptus eſt in domo Ioannis Antonii Iuſtiniani oppidi Gubernatoris. Trium hebdoma-

madarum spatio, quo ibi hæsit, non solum satisfecit privatæ suæ devotioni; sed excitavit communem: quia perpetuo concionabatur, & confitentibus aures dabat in variis templis, magno confluxu & tanto cum fructu totius civitatis, ut fama percrebuerit per totum fluminis tractum & nec Genuæ neque alibi alius audiretur sermo cum magna ædificatione. Ipse vero qui se existimabat nullius frugis, & prorsus imparem, præ desiderio lucrandi animas, alios quærebat, qui responderent suo zelo, omni studio se occupans inveniendis personis, & pecuniis ad hoc idoneis. Unde inter proposita sua notaverat, sibi incumbere exactam diligentiam & reflexionem adhibere ad excogitandum modum, quo subsidiis pecuniariis Congregationem Missionariorum juvaret, quibus adjumentis crescere possent numero & fervore; exploratum habens nimium quantum inde emolumenti spiritualis, peculio Dei provenire. Similiter incolis suorum feudorum prospiciebat de Religiosis ferventibus, qui concioni-

bus ſuis, ſacramentorum uſu, & aliis Miſſionariorum functionibus animas expergefacerent ad cœlum expugnandum: nec ipſe interim otiabatur, ſed impendebat pecunias in roſaria, numiſmata, & alia devotionis inſtrumenta conquirenda; idque abundanter, ut lenociniis illis, & munuſculis ſpiritualibus populus alliceretur. Nec illo contentus impendebat perſonam ſuam & auctoritatem, & ipſemet circumiens adhuc ſæcularis, & Dominus temporalis invitabat ardenter, colligebat, ducebat illos ſuos ſubditos ad Catechiſticam lectionem, Confeſſionem, & concionem. In tantum germinabat granum ſinapi zeli ſui, quod ſeminabat & in corde fovebat; quod & deinde crevit in arborem prædicationis Evangelicæ, & laborum Apoſtolicorum in medio Eccleſiæ univerſalis, poſtquam Religioni ſe mancipavit.

CAPVT IV.

P. Antonius Iulius ingreditur Societatem & quanto in pretio habuerit statum Religiosum.

QUanto major colligebatur fructus ab exemplis quæ edebat omnium virtutum & sanctis laboribus P. Antonii Iulii inter sæculares æque ac Ecclesiasticos, quos uti optime compertos habebat Dominus Cardinalis Durazzo Archiepiscopus, ita de iis extreme gaudebat; sed quanto erat majus gaudium tanto tristitia major subiit Prælati pectus, quando nuntiatum est illi, eum velle fieri Religiosum: & quantumvis sua Eminentia esset addictissimus Societati, sensit tamen jacturam illam tam vehementer, ut allatis litteris quibus per eum sibi licere petebat exequi mentis suæ decretum, eruperit coram latore in has voces. *Ignoscat illi Deus qui est causa cur iste Dominus se faciat Religiosum, sumpsissem illum in Reformatorem mei Cleri.* Licet postea se ac-

accommodando ejus pietati, divinæ voluntati obſecundanti, ſubjunxerit. *Patientia. Si Deus eum vocaverit ad Societatem, intercedet pro nobis & precibus, & operibus, Dei obſequio dedicatus, cui ſe impendit.* Atqui Deus nulli condonare poterat Patris reſolutionem, in qua non erat culpa; neque alius cauſa, quam ipſe Deus. Quia ex domeſticorum ejus certis teſtimoniis conſtabat, quod cum ejus genitor non habens niſi illum filium unicum in vivis, quem obſervabat ſortitum animam bonam & proclivem ad pietatem, ex formidine, ne contempto mundo in Aſylum aliquod Religionis ſe reciperet, noluiſſet eum frequentare ſcholas Societatis; ſed dediſſet illi hypodidaſcalum, qui domi ſuæ eum inſtrueret. Procuraſſet deinde eum quanto citius illigare vinculo quam poterat arctiſſimo, quod ſolvi non poterat; dando ei uxorem anno vigeſimo ætatis. Per mortem tamen ejus ſolutus his nexibus, cum novæ tum cogitationes eum invaſiſſent vitæ religioſæ capeſſendæ, & oppoſuiſſent ſe Matris imbecillitas,

cura

cura filiorum, & consilia Amicorum, spes quoque quod non male victurus esset in sæculo, & insuper præstiturus egregia opera servitii divini: denique ipsi arbitri conscientiæ suæ, & Patres spiritum regentes è Societate IESU, qui etiamsi judicarent magnam accessionem Religioni eventuram ex ingressu personæ tam spectabilis, considerantes tamen oculo sincero & affectibus humanis libero rationes, quæ id dissuadebant, & propter ætatem provectam, & propter sanitatem imbecillem, & plures alios respectus magni ponderis pluries eum retardassent; & P. Ioannes Stephanus Ferrari comprobatæ integritatis, & spectatæ virtutis, qui quando sumpsit illam resolutionem, fuerat jam ei aliquot annis à confessionibus, sæpe sæpius & longo tempore à cogitationibus illis quantumcumque bonis, & ad sanctum finem tendentibus, eum cohibuisset & dehortatus fuisset. Quis dicat temere ei suggestas? *Non est consilium contra Dominum.* Itaque postquam multum diuque secum & cum aliis luctatus fuisset

su-

ſuper tali deliberatione, & ſentiret cælitus ſe impelli, ut incertitudinem omnem abiiceret; voto edito, cujus reſolutio ſemel ſumpta, firma & immobilis permaneret, ſcripſit in charta formulam voti, quo ſe obſtringeret ad ingrediendam Societatem IESU; cumque tunc non haberet alium quem in conſilium adhiberet, ſtatuit conſulere ipſum Dominum, qui magni conſilii Angelus ab Iſaia Propheta appellatur. Totum id factum ad eum modum quem perſcripſit ipſemet immediate ad P. Ioannem Stephanum Ferari, confeſſarium ſuum, in quo melius percipi poteſt lumen, quo prælucente, directus fuit; fuitque ex illis, quæ non relinquentia dubium in diſcernendo, quis illud accendat, certum reddunt hominem de divina voluntate. Scheda loquitur ſequentia. *Stimuli qui urſerunt ad intrandam Religionem, adeo fortiter me preſſerunt in horum dierum progreſſu tam ſecundum humanas quam divinas rationes, ut ad extremum coegerint ad votum nuncupandum de exequenda vocatione, quam non poſſum credere venire ab alio, nec poſſe eſſe, niſi*

nisi à Deo; *enimvero oculis meis visa est tam chara & amabilis, ut persuaserim mihi securius fore ei obsequi, etiam antequam per P.V. mihi licuisset. In quo si secundum viam ordinariam erraverim, cum fuerit tamen impulsus & lumen extraordinarium, adigor ut credam, divinam Majestatem id à me voluisse. Attamen prius quam facerem votum, omnia bene expendi, & sensi me continuo magis propelli; Conjeci illud in chartam, quam junctim mitto P. V. cum intentione ponendi eam sub corporali quando diceretur sacrum, & secundum inspirationem quam à* Deo *sentiam mihi immitti, quando habebitur in manu hostia, ad dandam communionem, facerem votum vel non facerem. Sensi me postea & toto decursu Missæ magis ac magis animari: & in actu quo habebatur (post dictum:* Corpus Domini nostri IESU Christi, *) hostia in manu mea; sensi mihi interius dari ultimum impulsum, atque ita cum maxima affectus vehementia & determinatione voluntatis, me totum transscripsi* Deo, *& in sinum paternæ ejus prudentiæ me & omnia mea abieci. Gaudium meum non poterit accumulari magis, quam accedente approbatione P. V. quam mihi pro-*

promitto, quod itidem ad opera mea debeat concurrere: etenim capere nequeo quod post tot vocationes, quas Deus pro sua misericordia mihi inspiravit; quarum secunda semper melior fuit primâ, hæc non fuerit ejus vera, quandoquidem in illa excitaverit in me istum ardorem & lucem, quæ non immisit in aliis, id est, ad faciendum illud votum semper pro me auspicatissimum. V. P. me juvet in gratiis agendis divinæ suæ Majestati, de beneficio, quod æstimo majus omnium, quæ inter alia innumerabilia unquam mihi præstitit. Nulli, si ita videtur, hanc rem communica. Spero cras tibi præsto fore, interea humiliter P. V. veneror. Nervio Lunæ 8. *Ianuarij* 1652. *P. V. obligatissimus servus A. I. Brignole.* P. Ferrari hoc epistolio accepto de re tam inexspectata stetit attonitus, & perculsus; suspensus itaque inter periculum temeritatis humanæ, & spem assistentiæ divinæ, sumpsit calamum in manus, & ipso momento respondit in hunc modum. *Stupefactus sum multum, multum, multum de una resolutione sumpta sine illo consilio, quod mihi videtur præmittendum fuisse tam arduo in negotio. Differo usque*

in

in crastinum dicere reliquum, quando D. V. venerit in urbem. Deus eam illuminet, & non sinat errare in re tanti momenti! Verum enim vero quid luminis ulterioris erat exspectare dum hoc esset tam clarum quod receperat, & eum ducebat tanta cum certitudine in viam rectam, ut non dubitaret vincula illa duplicare? Tam felicem enim se beatumque credidit, ut adiecerit aliud votum reflexum, quo obligabat se quod nunquam petiturus esset dispensationem primi sui voti. Itaque cum resolutione obtinendi potestatem intrandi à Summo Pontifice Innocentio X. (qui tum ademerat Religiosis Ordinibus facultatem admittendi Novitios nisi ad certum numerum) & per illum benigne concessa est, fuitque ejus fervore mire recreatus, anno 1652. ætatis suæ 47. postquam Christum sequutus fuerat ultra triennium in statu Ecclesiastico sæculari: ut sequeretur propius omnibus ambagibus expeditus, assumpsit crucem Religiosam secunda die (quæ fuit prima Veneris) Martii, & recepit se ad Novitiatum, ne verbo qui-

quidem dicto Dominæ Matri, liberis, consanguineis, & amicis aliis, & in complexum ivit Societatis. Inde misit epistolam ad Sacerdotem virum cælestium prædivitem opum, sibi necessarium & familiarem, in qua extollebat uberem misericordiam, quam Deus illi fecisset, deducendo ad sanctam Religionem. *Gratia*, inquiebat, *quam numquam promeritus fuisset ille, qui post infinitas offensas* IESU *suo illatas, dignus castigari, & præcipitari in infernum; accepisset ab illo characterem suæ salutis, & signum quod vellet se socium in cælo, in militiam sanctissimi sui nominis eum cooptando.* Hos & alios affectus expressit in illis litteris tam acres, ut bono illi Sacerdoti lacrymas excusserit: submisitque unà litteras suo nomine tradendas Domino Cardinali Archiepiscopo, Dominæ Matri, & aliis propinquioribus consanguineis, & amicis, plenas similibus documentis. Inter illos etiam scripsit ad Dominum Iacobum Philippum Durazzo cognatum suum, cum quo ob singularem bonitatem istius Domini, intercedebat illi magna necessitu-

 do,

do, & confidentia. Scripsit, inquam, ad illum sanguine sibi, virtute Deo conjunctum, ut præveniret & rogaret obnixè ut ne quid moveret in contrarium; sed sineret se frui quiete istius vitæ, quam post tolerantiam longæ inquietudinis delegisset. Postquam nova hæc mutatio dexteræ excelsi vulgata fuit per civitatem, non potuit impediri, quin à variis consanguineis & amicis fuerit visitatus, qui separationem illam summo cum dolore patiebantur; sed majori sensu admirationis, & sanctæ (inefficacis licet) invidiæ, contemplabantur illum totum alacrem, hilarem, & lætum, non aliter ac si totus plenus esset torrente voluptatis, & deliciis cæli. Quæ lætitia juncta constantiæ imperturbabili, in viro tanti ingenii & nobilitatis, & bonorum quæ Deus benedictus per eum, & per alios ab eo suscitatos operatus est, manifestum faciunt sumptam ab eo resolutionem ad eum modum, ut posset videri imprudentia; certo certius tamen fuisse impulsum Spiritus sancti, superiorem communibus regulis secundum

quas

quas ſolent & ordinarie debent menſurari tales electiones, non poterat controverti. Neque ſolum habuit eam hilaritatem in ipſis initiis, quæ in multis ſe prodit in novitate quietis & innocentiæ religioſæ: at in ipſo ſemper creſcebat tam ſingulari cum conſolatione, ut debeam præter illa narrare quædam de ejus vita in religione acta, & operibus ſanctis, quibus decem annos implevit, quos vixit dein in Societate.

Prima virtus quæ in eo obſervata fuit, & reliquis præmittenda eſt, quod maximi fecerit ſtatum Religioſum, illudque verbis, & actionibus ſingulariter patefecerit. Dicebat enim videri ſibi tam magnam innocentiam, & ſecuritatem, qua vivitur in Religione; ut vix major potuerit inveniri in paradiſo Terreſtri; ad conſequendam autem felicitatem illius ſtatus, tam parvi faciebat totum id quod deſeruerat in ſæculo, ut cum aliquando fuiſſet à quodam domino interrogatus, utrum contentus viveret in Religione? Reſponderit: quod ſi haberet in manu univerſum orbem terrarum, collectum in

unum ovum, subito dejecturus esset in terram. Ex hac æstimatione, & magno affectu oriebatur in illo dolor & pœnitudo, quod tanto tempore tanto bono carvisset, idque creberrimè in familiaribus colloquiis auditus fuit deplorare; quin contigit eum hoc explicare tanto cum sensu, ut in admirationem rapuerit unum Patrem cum quo erat in recreatione quotidiana: cum enim cœpisset cum eo confidenter colloqui de quibusdam suis rebus inter alia dixit: se continuam mallei percussionem sentire in corde, quæ culparet suam tarditatem, quod non citius totum se Dei servitio mancipasset; & quod ille scrupulus esset illi martyrium ingens, quo torquebatur perpetuo tam acerbe, ut adimeret consolationem, quam ceteroqui gustabat in oratione, & aliis exercitiis religiosis. Unde judicabat quod in pœnam suorum peccatorum, Deus hoc illi tormentum reliquisset, cujus nullum levamen sentiebat, ne frueretur cœlo per nimiam anticipationem, quod alias sibi promiserat in religione futurum & alii experiun-

riuntur. Eapropter ſancta quadam invidia ferebatur, & ſingulari affectu complectebatur illos, qui cito erant admiſſi ad portandum ſuave jugum domini, & illo bono fruebantur ab adoleſcentia, intrantes adhuc juvenes in Religionem. Cum illis converſari volupe illi erat: gratulabatur illis de tanta felicitate, & lætabatur ſi videret ab illis cognoſci eam, & pro meritis ponderari. Cernere erat eum cum guſtu & amore agere cum eis in Collegiis & Novitiatu; quo invitatus libenter ſe conferebat, & ſedens inter Novitios dicebat. *Nolite credere me ſenem licet incaneſcam, quoniam paulo plus temporis numero quam vos.* Innuens quod non haberet rationem annorum, quibus vixerat in ſæculo; ſed paucorum illorum, quos traduxerat renatus Deo in Religione.

Excitabat ſimiliter iſtam æſtimationem per deſiderium ardentiſſimum, quo procurare ſtudebat, ut alii quoque fierent Religioſi: ad quod ſtatim eos adhortabatur non ſolum diſerte, ſed etiam efficaciter & privatim, ore-

tenus & per litteras. Ac præterea publice in concionibus, & exhortationibus multum, & ardenter hoc inculcabat. Prima vice qua in publico loqueretur Mediolani, fuit in congregatione ſecundæ claſſis Grammaticæ, ibi cœpit diſcurrere tanta cum emphaſi de vocatione Religioſa, ut poſtquam multa appoſite dixiſſet ad juventutem de hoc argumento, converſus tandem ad Beatiſſimam Virginem, exprimenſque iſtum affectum, ſic eam affatus eſt. *Tu ergo quæ miſerta fuiſti mei in præceps euntis, permittes ut hi qui quaſi in faſciis, creſcunt lacte ſuæ erga te devotionis, maneant in mundo ut ſe perditum eant? abſit ô bona Mater, ut tantum malum non avertas!* Et alia in hunc ſenſum proſequutus eſt tam affectuoſe, ut multi ex noſtris Patribus qui erant præſentes non poſſent ſe continere à lacrymis. Videbatur nonnullis parum conveniens ad vitam religioſam adhortari pueros tam imbecillæ ætatis, & parvæ capacitatis; ſed quid ad objecta haberet penes ſe reponere, oſtendit non ita multo poſt, quando occaſione feſti B. Aloyſii Gon-

zaga

zaga faciens in ſodalitate Rhetorum exhortationem, cœpit ſtatim ita, quemadmodum non ſolum tum fuit auditus, ſed etiam poſtea inventum ſua manu in chartis notatum.

Dum præteritis diebus voluiſſet obedientia me facere exhortationem in Sodalitate Grammaticorum, in egreſſu fuit qui mihi diceret: Pater licet clara fuerit tua dictio, qua impuliſti Auditores ad amplectendum ſtatum religioſum, videtur tamen opera non bene fuiſſe collocata coram pueris, qui tum propter annorum imbecillitatem, tum propter immaturitatem iudicii, non ſunt multum capaces ad ſtatus Electionem. Quadraſſent iſta melius ſi Rhetoribus, & Humaniſtis jam provectioribus, tua iſta vendidiſſes; & fortaſſe ictus tuus non in irritum cecidiſſet. Me verti ad illum admirabundus, ſed reſpondi mihimet ipſi: An forte beatitudo ſtatus religioſi, ita indiga eſt argumentorum, ut quantumvis non quinque vel ſex, ſed centum & mille eſſent in qualibet claſſe diſcipuli, non poſſet in unaquaque rationibus ſemper novis, ac novis, & abundantibus, & efficacibus diſcurri ad permovendum? Quin imo ſi amantiſſimus & libera-

lißimus Deus & Dominus, in vocatione ad statum hujuscemodi, fecerit mihi beneficium tam facile; non arripiam ego, ne perfida fiat mea ingratitudo, omnem occasionem eam deprædicandi, & exaggerandi? Non, non, poteftor coram quocumque qui me audit, & contenta voce protestor, quod quotiescumque mihi concionandum erit ad juvenes, qui tam bonæ electionis fuerint capaces, cavero mihi de alio argumento dicere. Igitur ut liberem meam fidem, propono vobis B. Aloysium Gonzagam &c.

Non minus fecit ista, quam dixit, & quoniam ob gratiam dicendi ex spiritu, semper invitabatur ad exhortandum in illa frequenti congregatione, & cum magna Spiritus & laterum vehementia effundebat se in laudes status Religiosi; nonnullis è nostris Patribus visa est res, quæ moderatione opus haberet, & fuit qui eum moneret: at ipse quadam vice, dum solemnem haberet orationem in Sodalitio Rhetorum Mediolanensium, & cœpisset cum magno fervore deprædicare bonum status Religiosi, dixit quasi per objectionem: *Sunt nonnulli qui non pro-*

bant,

bant, quod ego toties, & cum calore exhorter omnes ad vitam religioſam: verum illi de gratia hoc mihi condonare dignabuntur, etenim ego cum graviſſimo meo damno expertus ſum, quid ſit eſſe ſæcularem; at modo cum incredibili meo gaudio probo ſtatum Religioſum: ex comparatione unius cum altero, ſentio me tam vehementer adigi ad explicanda mala illius, & bona hujus, ut, niſi vim mihi inferre velim & ſcrupulis agitari; nequeam reſiſtere ſpiritui qui in me loquitur; & linguam cohibere, quo minus proferat, quod deus cordi inſpiravit. Eam ob cauſam non potuit unquam refrigeſcere in illo hic impetus, ſed potius alios efficaciter inflammabat, ut diligenter ſecum adlaborarent in extrahendis hominibus è ſæculi Ægypto. Ipſe vero cum vera iſta charitate, primum exercitata in Sancti Andreæ Tyrocinio Romæ, ſuis conſanguineis & propinquis dicebat: *Invenimus Meſsiam*, & omnes nervos intendebat ut deduceret eos ad IESUM. Atque ita cum deberet Mediolano Genuam migrare, rogatus ut adhuc aliquantulum ibi ſubſiſteret, renuit, & dixit: ſe velle quam

mox abire, ut quantum posset studii poneret in adducendo ad Societatem P. Hippolito Durazzo nepote suo; qui cum esset Prælatus, in Aula Romana magnæ auctoritatis, illis diebus se receperat in domum suam, ut extra strepitum in silentio tales cogitationes volveret, quas adjutus fidis consiliis & efficacibus exemplis Avunculi, postea in opus deduxit. Persuasit etiam ingressum Religionis Dominæ Mariæ Magdalenæ Durazzo sorori suæ, viduæ pientissimæ, etsi satis provectæ esset ætatis, & præterea in sæculo laudabiliter occupata operibus devotionis, & misericordiæ, & plurimum utilis ad gubernandam prudenter christianeque domum & prolem. His non obstantibus non videbatur P. Antonio Iulio posse esse rationem tam validam ad manendum in mundo, quin prævalerent bona securitatis, & felicitatis, quibus abundat Religio. Idem desiderabat & postulabat, licet non fuerit exauditus, à duabus suis filiabus & totidem filiis; nec erubuit publice è pulpito hoc declarare cum affectuosissima

invitatione ad eos permovendos : & minorem quidem natu adolescentem magni ingenii, & vivacitatis, qui spem majorem faciebat sequendi sua, & Christi consilia, pluribus mediis conatus est eo inducere, usùsque est variorum amicorum ope, qui eum impellerent. Denique Taurino, ubi Pater concionabatur per adventum, dedit litteras ad unum è Magistris nostris, cujus scholam frequentabat; scripsitque in hæc verba : *In schola tua habebis subinde occasionem videndi mei filii. Obtestor ne ullam occasionem negligas, habendi eum sæpe penes te privatim : & amicabili tuo modo in agendo manuducendi, & instillandi ei salutaria monita, quæ prudenter cognoveris fore opportuna ad ejus expugnandum animum, quo subducat se tempestive tempestatibus mundi, & recipiat ad portum securum Religionis.* Quin imo eo progressus est ut largis promissis, sollicitaverit eum, cui bonæ ejus institutionis cura commissa erat, ut induceret eum suaviter ad ingressum in Societatem Iesu. Illis quibus videbatur mirabile quod flocci penderet propagationem

&

& conservationem prosapiæ suæ, respondebat cum sensu digno homine qui plenus erat spiritu Dei: nimirum quod ipsemet stuperet aliquem sollicitum esse posse pro familia conservanda, qui compertum haberet, quod non posset deportare secum in alteram vitam vel bona, vel consolationem: at contra futura sit maxima consolatio, quod res quæ serius ocyus debet habere finem, tota absorbeatur à Dei obsequio, & transplantetur in cœlum. Insuper dicebat cum ego tot modis offenderim Deum, æquum & justum est me satagere, ut ad minimum per meos filios non offendatur, sed perfectissime colatur, ne filii insistant vestigiis Patris, & exhauriant se in servitio Carnificis tam detestandi, quam est Mundus cum concupiscentiis suis; cum possint se salvos facere serviendo tam bono domino, ut est Deus. Et hoc iudicium de stolilitate & stultitia, quæ sita est in obsecundando potius mundo quam Deo, hab bat ita fixum in animo, ut in pluribus occasionibus, & lingua & calamo hoc testaretur. Exemplo sit

una

una Epiſtola in tali argumento eloquentiſſima, utpote dictata eo in calore & æſtu, quem tum hauſerat in oratione. Scripſit Mediolano Genuam ad dominam ſuam Matrem, & orſus diſcurſum de morbo in quem inciderat quidam Nobilis proxime illi ſanguine junctus, ita fatur. *Indoleo de infirmitate Domini N. quæ tamen multum attulerit ei boni ſi convaleſcat, uti ſpero, & Deum oro ut vertatur illi ad ſalutem; & faciat eum cognoſcere quam improſpere & male exantlentur omnes labores & moleſtiæ, quæ mundi cauſa aſſumuntur, & quanto melius impendantur deo. Iam nunc abſolvo horam nobis ſtatutam ad orandum, in qua meditatus de Evangelio præſentis diei, quod nemo poſsit duobus dominis ſervire, Deo & mundo: tam palpabiliter & vivaciter quaſi manu tetigi, & penetravi hanc veritatem, quod attinet miſeriam anteponentium ſervitutem Mundi qui tam male remuneratur opera etiam diligentiſsime in ejus gratiam facta; ſervitio Dei; qui tam fideliter compenſat ad deſideria uſque, quæ concipimus faciendi etiam minimum quid intuitu eius: quod certiſsime credam verti mihi cerebrum præ dolore,*

dolore, dum considero me totam vitam, non solum illi mancipasse, sed etiam martyrio affecisse, ut idolum illud adorarem, quod semper me odio prosequutum est, & victimam voluit facere æternæ mortis; & fecisset, nisi obstitisset robur, quo me à præcipitio retraxit ineffabilis misericordia mei IESU, *qui cum permiserit perire tot minores me peccatores inter catenas crudelium illorum tyrannorum; me demum dignatus est illustrare benigno suo lumine, quod me jubet sperare vitam æternam. Revera deberent omnes meis gemitibus suos adjungere, & ad cælum emittere zeli Christiani suspiria, quando cernuntur deviare juvenes magni ingenii, perspicacitatis, & acutæ sagacitatis, habiles, industrii, omnibus dotibus & talentis divites. (Qualis apprime est Dominus N. propinquus noster) & venari vanissimam auram quatuor vermiculorum terræ, cum tanto sudore, ut decima ejus parte possent suis viribus, divina gratia adjuti regna (ut ita dicam) & provincias integras ad Dei gloriam lucrari, & acquirere plausum omnium Cælitum arrha è cælo accepta. Sed heu, dicetur mihi, tu pejus fecisti quam quivis alius. Est verum (fateor) verum,*

ve-

verum, & nimis quam verum. Sed me pœnitet, ſed cor mihi dolore diſrumpitur, ſed ſpero cum auxilio mei dulciſsimi IESU non futurum me inpoſterum talem. Verum illi qui fallacis mundi machinationibus, illecebris, & impoſturis deprehendunt ſe irretitos, jam à triginta, quadraginta, quinquaginta, & quod ſuperat, annis; & tam male pro duriſsima ſervitute, quam ſervierunt, remuneratos; quomodo ſe diutius decipi patiantur, & non potius laqueos omnes rumpant ad libertatem filiorum Dei adſpirantes? Non capio quomodo non omnia, quæ umbratilem aliquam pulchritudinis ſpeciem præferunt, pede proterant? Quomodo non cogitant de mutando domino, qui eos tam crudeliter tamquam viliſsima mancipia tractat, & quaſi fuſtibus excipit fatigatos? Difficile eſt comprehendere. Idem ille dominus N. qui habet ad aures Patruum, tam illuſtre lumen Religionis tam ſanctæ, qualis eſt Theatinorum, poſtquam fuit ad meliorem ſtatum redactus, quare non ſumpſit ſanctam, & generoſam reſolutionem æmulandi ſibi tam propinquum, ut ſe redderet dignum eo nepotem? Quanto magis attrahere eum deberet ad ſequendum Chriſtus? Digne-

netur Deus pro sua immensa bonitate & clementia, lapsu temporis concedere, ut intelligant universi, etiam gnati mei, præsertim illud: quod nemo possit duobus dominis servire, & Deo (qui se dedit totum, & si se dederit totum, quid meretur à nobis in vicem recipere nisi totum?) & Mundo; quem tantum abest ut lucremur, ut potius nosmetipsos perdamus; debet ergo quod consequens est voluntarie repudiari: quia quando eum sectamur, non assequimur sed fumi instar evanescit, & dum eum captare volumus, fugit velit umbra, & rapi nos sinit in gehennam.

Hæc erant sensa animi circa servitutem Mundi & Dei, quæ non inutiliter tum sunt expressa & notata. Enimvero æstimatio quam fovebat de Religione, non erat impressio aliqua speculativa aut affectus aliquis sterilis ex simplici complacentia ortus, erga quietem status religiosi, sed multum efficax & fœcundus illius virtutis & sanctitatis, quæ consentanea est domui Dei.

CAPVT V.

Oratio P. Antonii Iulii & unio cum Deo.

CUm ſit domus Dei peculiari quadam ratione domus orationis, P. Antonius Iulius præfixit eam ſibi perinde atque principium virtutum ſuarum religioſarum, & magno ſtudio & ſerio applicabat ſe omnibus exercitiis ſpiritualibus Orationis, lectionis, examinum, & omni generi devotionis, per quæ media comparavit ſibi arctam, aſſiduam, ſapidam, & affectu plenam conſuetudinem cum Deo. In hujus virtutis probationem, ut non hæreamus in generalibus terminis, ſerviant particularia, quæ ſubjungo. Exercitationes ſpirituales præſcriptas in Religione exequebatur omnes quotidie integras; quantumvis oppidò occupatus, & quam exactiſſime; impendebat illis totum tempus ſtatutum, non tantum quando eas obibat ſolitis locis, & temporibus, ad ſignum campanæ com-

munis; verum etiam quando ex aliqua occurrente occasione cogebatur eas implere aliàs & alibi, & tum *ut particula bonæ diei eum non præteriret* metiebatur tempus ad clepſydram, quam ſemper ſecum geſtabat, etiam quando iter faciebat. Ad horam ſtatæ orationis adjungebat indies aliam ſemihoram determinatam, quam ſumebat ſub veſperam, non ſolum in Novitiatu; ut alii, ſed etiam in ſecundo anno, quo adhuc tyro, fuit occupatus in Collegio ad repetendam Theologiam, & omnibus ex ordine ſequentibus annis, uſque ad finem vitæ: adeo ut bene dici poſſet, majorem partem ſuæ vitæ, & frequentiorem occupationem fuiſſe orationem: quia ſi excludas tempus, quod ad conciones parandas collocabat in ſtudiis, quaſi ſemper reperiebatur in cubiculo, non vagabatur per domum, ſed quærebatur in choro vel templo. Idque non dumtaxat in decurſu anni, quando minus occupationibus diſtrahebatur; ſed etiam quando concionabatur, & diebus immediate quadrageſimæ proximis; apparebat ſi quidem

præ-

præparationem ejus ad prædicandum fuiſſe frequentem & continuatam orationem, unde *verbum* ejus *ſicut facula ardebat:* quemadmodum fuit Cremonæ obſervatum, quo vix advenerat, ut verbi divini præconem ageret in templo Cathedrali, quin hujus veritatis ſpecimen daret. Paucis diebus ſubſtitit in Collegio, prius tamen quam migraret in cubiculum palatii Epiſcopalis (prout in Italia concionatoribus majoris notæ mos eſt) dedit ſe tantum ſeceſſui & devotioni, ut conclave magis ordinarium per diem videretur chorus, aut angulus aliquis Eccleſiæ. Et hæ erant ejus viſitationes, prenſationes, officia humanitatis, & invitationes ad conciliandos auditores, & concurſum alliciendum, ſi quam in urbem veniebat probe cognitus & exſpectatus. Neminem autem eo tempore quo Eccleſiaſtæ munere fungebatur, admittebat ad colloquium, niſi conſilii, aut opis ſpiritualis petendæ gratia. Ad hæc mane quo debebat aſcendere cathedram ad prædicandum, impendebat magnam temporis partem in eo modo

præparationis, meditando, & commentando ea quæ dicturus erat ad lumen Magistri sui IESU crucifixi. Quod Taurini animadversum fuit à diversis, si quidem recipiebat se in cubiculum suum matutinis illis horis, & erat quid ordinarium eum geniculantem in terra in medio cubiculi, & orantem invenire. Unde surgebat quando tempus erat ascendendi suggestum, tam plenus Deo, & absorptus in Deum, ut videretur non meminisse alterius rei, vel personæ, quæ illi occurreret, sed ibat delatus à Spiritu *ad eructandum verbum bonum*, quod mente collegerat. Dum deberet dicere Mediolani festo B. Francisci Borgiæ, egressus est cubiculo tempore debito, à nullo monitus; & quasi raptus extra se, progressus est ad pulpitum sine socio, & superpelliceo; admiratus Sacristanus pone illi hoc apportavit, & postea adhæsit. Mane quodam invitatus ad faciendam exhortationem in quadam Sodalitate Collegii Genuensis, egressus domo professa ut eo iret, incessit tam collectus intra se per plateas, ut videretur

exta-

extaſim pati, nec ſcire quis ſe ſalutaret, niſi à comite admoneretur; cui ſi diceret pauca verba, erant tam mutilata, trunca, & interrupta ut non poſſet ſocius colligere ſenſum: ſed videns ita occupatum cum deo, non audebat interpellare, & longe meliorem converſationem interturbare. Cremonæ per illud tempus quo inter concionandum commorabatur in Epiſcopio, fuit notatum excepto eo otio quo neceſſario revidendæ ſuæ concioni vacabat, & erat oppido breve, totum reliquum quo non erat in alia diſtractus dare orationi, pari modo genibus flexis in medio pavimenti, & ſæpenumero brachiis in formam crucis extenſis. Officium divinum recitabat quotidie de genibus, interrumpebat per intervalla frequentibus ſuſpiriis devotionis, quæ cor exhalabat: de quo cum eſſent certiores factæ non paucæ perſonæ, prætextu quæſito, aut etiam furtim inſinuabant ſe in ejus cubiculum; ut ſpectarent actiones tam ſingularis pietatis, & non digrediebantur niſi ædificati, & non minus compuncti, quam ex

concione prorſus devota. Præterea ibi adhuc fuit obſervatum fuiſſe illi familiare, & in noſtris domibus, & ubicumque habitabat, quod ſingulis veſperis ſecedebat è palatio Epiſcopali in cathedralem, ad lucrandas indulgentias, & includebat ſe longo tempore ad fundendas ſuas preces, in Sacello venerabilis Sacramenti. Pro qualibus & aliis ſuis devotionibus apparebat vix illi poſſe vacare tempus: ſed ille ſibi faciebat, ſubtrahendo viſitationibus, & converſationibus ſuperfluis, omnes illas horas quas poterat, ut impenderet commercio ejus, qui melius eum replebat pace interiori, & ſolidioribus voluptatibus ſolabatur. Cum hac devotione, non ſolum quaſi cum robuſta unctione, vigor ei accreſcebat in laboribus, ſed inſuper quaſi dulci ſucco condiebat omnes recreationes; ac propterea diebus relaxationi deſignatis, ſi erat invitatus, & juſſus egredi ad villam foris, auræ captandæ gratia; aura quam captabat dulcior erat illa, quæ adſpirabatur à collibus æternis. Ita vero. Et ideo quando erat in vinea Collegii Mediolanen-

lanenſis circumdatus aliis Religioſis, ut gauderent ejus conſortio, quod erat dulciſſimum, & deſideratiſſimum, frequenter inveniebatur in ſylvis, aut ſacello domeſtico, ubi tranſigebat multas horas diei, oblectans ſe cum Deo.

Obibat illa exercitia devotionis tanta cum collectione, ut non recordaretur ſe aut quæſitum aut vocatum. Evenit Mediolani, quod quiſpiam ad fores cubiculi ſui in domo profeſſa pulſaret ad oſtium; & cum videretur illi qui pulſaverat ſe audiiſſe vocem quæ reſponderet *intra*, aperuit oſtium, & vidit Patrem in medio cubiculi genibus nixum cum officio in manu, facie multum inflammata, oculis in cœlum elevatis, ita in deum abreptum, ut non adverteret januam apertam, nec ſe moveret. Quamobrem ille interpellator cum ſenſu reverentiæ, ne eum turbaret, iterum oſtium clauſit, & abivit. Alia vice non nemo ex operariis, qui conſuerat pro domo laborare in Collegio Mediolanenſi, intravit cubiculum ejus (fortaſſe opinatus Patrem ibi non eſſe) ut neſcio quid utenſilium reficeret.

ret. Offendit illum flectentem in medio cubiculi, expansis in modum crucis brachiis, in actu & modo se habendi, qui bene proderet, ubi versaretur cor ejus. Cum non percepisset Pater ex strepitu quod alter intrasset, permissus est frui suis deliciis sine turbatione. Neque solum in cubiculo, sed in aliis etiam locis magis tumultui expositis, ita se noverat ab externis subtrahere, & intra se recipere, tanta cum collectione, ut nequaquam reflecteret ad ea, quæ circa se agebantur. In villa suburbana Collegii Mediolanensis, de qua superius mentionem fecimus, quibusdam Dominis, qui venerant ad eum invisendum, cum nullibi reperiretur, fuit dictum: inventuros se illum in aliquo nemore orantem. Itaque fuit quæsitus in sacello, ubi est secessus in loco suavissimæ amœnitatis, & devotionis in medio duorum lucorum acclivis, elegantia rustica in similitudinem Montis Calvariæ adornatus, atque ideo à Patre multum dilectus ob venas dulcissimas spiritus, qui dense isthic saliebat *cum gaudio de fontibus salvatoris*. Et

vero

vero ibi ſtatim fuit inventus, ita abſtractus à ſenſibus, & abſorptus in Deum, ut aſſequutus non fuerit adventum, nec audiverit loquentes ſæculares, & alios noſtros qui eos deduxerant, donec eum ad ſe revocaſſent & monuiſſent; tum enim ſibi reſtitutus ſurrexit, & excuſavit. Alias repertus in eodem ſacello itidem à ſæcularibus, qui venerant curioſitatis gratia, ad ſpectandam villæ viciniam; flexis genibus ſe ita tenuit immobilem, ut nullum daret ſignum notitiæ quemquam ſuperveniſſe. Sociabat & fovebat orationem, potiſſimum quando erat ſolus, actibus externis devotionis, obſervatis quandoque abſque eo, quod ſciret præſentes. In ſupradicto ſacello villæ fuit inventus ſtare in oratione brachiis apertis ante crucifixum, & vel ut veneraretur quinque vulnera, vel alterius devotionis intuitu, quinies oſculari terram, eructando aliquas aſpirationes; & permanebat ſtans, oculis fixis in Iesum ſuum cruci affixum, gemens & lacrymans cum demonſtratione tenerrimi affe-

ctus. De quibus & aliis hujuscemodi actibus alibi forte plura, quando tractabo de ejus pœnitentia, ad quam se comparabat: quod si præsagiret alios superventuros, ex desiderio non manifestandi sensa suæ devotionis, fugiebat ad fossas quasdam siccas, quæ erant in villæ confiniis, permittens aliis sentire quod vellent de suæ pietatis excessibus; quando securus erat de studio secreti, quo cavebat ne aliis innotescerent; Quo tempore affectiones, quæ animam ejus inebriabant, erant tam uberes illius pluviæ, quam Deus segregat hæreditati suæ, ut cor ejus dulcedinis copia obrueretur; quamvis ipse dissimularet, præsertim quando in conspectu aliorum orationi vacabat. Verum-tamen in vultu se prodebat, & faciei compositione, ut dictum est, multoque magis ex copia dulcium lacrymarum, quæ in suo corde, tamquam ex fonte Paradisi in duo flumina se dividebant. Certe dum esset Novitius fuit observatum ab aliis Novitiis, quòd finita media hora orationis, quam per diem omnes faciunt in communi,

quan-

quando componebat ſe ad ſedendum cum aliis, ut uſus fert, ad faciendam recollectionem, & ſucceſſum Meditationis expendendum, adhuc non poterat cohibere curſum aquarum, *quæ cum impetu fluebant de Libano*, ut non fuerint à nonnullis viſæ manare per genas ubertim lacrymæ, quibus præter devotionem ſuam, aliorum quoque ſpectantium fœcundabat ſterilitatem.

Dicebat ſacrum cum tanta abuntia affectuum divinorum, ut impar ad refrænandam illorum vehementiam & intenſionem illorum actuum, quos in penetralibus verſabat, cogeretur permittere eorum impetum ſe exonerare in ſuſpiria, & tranſparere fulgetra piiſſimarum evaporationum, etiam exterius, quibus permovebat ad devotionem circumſtantes; præſertim tempore conſecrationis, & communionis, utpote magis ſacroſancto, ex conſortio præſentiæ divinæ. Videbatur totus fermentari, adeo ut quandoque capilli in capite erigerentur, & quid igneum ex vultu ejacularetur. Unde factum quod ſub initia habitationis ſuæ

in Collegio Mediolanensi, sæculares qui non noverant eum de nomine, moti sanctitate, quæ in eo elucebat inter celebrandum, appellarent sanctum Patrem. Quid in illius intimis visceribus operaretur Dominus, quando sacramentaliter eum in sinu pectoris gestabat, potest argui ex modica quadam conjectura, quam scripto reliquit, in quo ita dicit. *Operam dabo postquam sacramentaliter sumpsero Deum & Dominum meum: unire illum tam vivaciter per actus amoris internos cordi meo, ut mihi imprimat vividam imaginem, & similitudinem sui, quæ elevet, purificet, & virtutem ac præstantiam addat operibus meis, perficiatque semper magis ac magis in me imaginem & similitudinem illius Christi: & nunquam non debebo post sacrificium Missæ peractum, postulare illud donum, ut relinquat in anima mea illam fortitudinem & robur in ordine ad omnes meas operationes, ac præterea addatur mihi constantia ad perseverandum, & in dilectione ejus proficiendum.* Ita ille. Unde non est mirum si animâ refertâ illis splendoribus, in vultum prorumperent

rent radii ſingularis devotionis. Nec ſolum in operibus ſpiritualibus, verum etiam in aliis occaſionibus vitæ activæ; converſans enim cum hominibus gerebat impreſſum fronti & oculis certum lumen vultus divini, & afflabat neſcio quid cœli & ſancti, maxime quando aliquis eum comiter, & cum charitate accedebat; atque in villa, quando cum juvenibus familiariter agens modulabatur cantiones ſpirituales, dicebant quidam, quod comperirent in illo accendi affectum erga argumentum carminis ſacri, adeo ut ſimiles devotos affectus in aliis quoque excitaret. Tempore morbi non erat illi gratum, ſi quis eum ſermonibus de rebus indifferentibus diſtraheret, multo minus otioſis & vanis: ſed omnem ſuam confortationem deſiderabat è cœlo. Et quando Senæ ægrotabat, monſtrabat ſe non haurire majorem conſolationem, quam quando curabat ſibi legi aliquem librum ſpiritualem: ſi autem Noſtri ob ſuas occupationes non poſſent hoc illi officium præſtare, exigebat hoc à filio ſuo natu minore, adhuc ſæculari, qui

per

per id tempus quasi in transitu in nostro isthic Collegio forte hospitabatur.

Neque erat cubiculo vel templo alligata ejus devotio: sed in Deum ferebatur præterea, quocumque iret, & vagaretur. Quando incedebat per domum, salutans obvios, non dicebat illis verbum, ne aspiciebat quidem, sed recta ibat vias suas: quod quibusdam visum speciem esse inurbanitatis, aut inadvertentiæ indecoræ; qua de re monitus, utcumque hoc moderatus est, non tantopere tamen, ut respectui hominum non prævaleret, cura custodiendi cor suum, tanquam sedem Dei in pace. Quando ambulabat per plateas fuit observatum, quod citra occasiones extraordinarias, de quibus supra diximus, incederet oculis ita ad modestiam compositis, & quasi penitus in se reflexus; ut non animadverteret, à quo esset salutatus: quod quidam prudentulus arbitrabitur fortasse excessum fuisse potius quam virtutem: sed qui sciverit quantum Deus occupet cor suorum, non improbabit quod ipse suo jure eripiat istud hominibus; quibus

bus tamen ſancti ſtuduerunt etiam ſatisfacere quando poterant, ſine præjudicio Domini. Atque ita P. Antonio Iulio gratum erat, ſi ſocius Nomenclatorem ageret, quando ſalutabatur; oſtendens ſuum non perſentiſcere, provenire ex ſua negligentia & incuria: Quæſita eſt cauſa dum eſſet Taurini à ſuo Confeſsario, tam accuratæ ſenſuum cuſtodiæ: aperuit illi confidenter, ſe ejus ſatagere ob duas rationes; quarum prima erat, ut non ſolum excluderet omnem cogitationem impuram, quæ poſset irrepere per oculos; verum etiam omnem quantumcumque tenuem affectionem quamvis involuntariam & naturalem, erga creaturas & Mundi vanitates: Altera ratio, ut mordicus retineret in vigore, principia illa æterna, quæ imbiberat; & experimento diſcebat facile evaneſcere, aſpiciendo lenocinia ſeſuum, & agendo cum ſæcularibus. Unde patet quod illa modeſtia non fuerit negligentia, ſed ſollicitudo ſtudioſe quæſita. Refectio, cum qua proficiſcebatur, & leniebat tædium itineris, erat oratio: Cum

Cum esset ex itinere delatus in Nove, qui est locus è præcipuis ditionis Genuensis, vix eo devenerat, quando dixit sociis; intelligo quod in hoc loco sit pulchra Ecclesia parochialis, divertam ad eam paululùm ad videndam. Hoc dicto subduxit se ex diversorio, & tempore medio, quo alii partim quiescerent, partim facienda curarent; Ille se impendit visitando Domino Deo in templo: nec visitatio fuit cæremonialis aut per transennam, sed duravit per sesquihoram, quam exhausit precando. Venerat ex itinere Bononiam, & invitabatur ut se reficeret. Petiit ubi esset chorus, responsum est in Ecclesia; statim eo se contulit, ut quæreret suum refrigerium. Alia vice de via lassus devenerat ad domum Professam Genuensem, derepente divulgatum est per domum adesse illum; accurrunt Patres ad cubiculum, cupidi eum videre. Non inveniunt. Quaqua versum in circuitu eum quærunt; non comparet: Inquirunt ab obviis ubi sit, nemo de eo habet quod dicat. Tandem compertum eum se recepisse ad odæum Templi,

pli, non per modum volentis raptim & breviter visitare sanctum sanctorum, ut aliqui laudabiliter solent facere, ad ordiendum, vel finiendum iter suum ad pedes Domini: sed ad modum orationis lentæ, & quietæ, & ad absolvendum suas devotiones per viam interruptas. Licet essent tam gratæ ipsi significationes charitatis illorum Patrum & Fratrum in recipiendo, quam ejus charitas & adventus ipsis: non minus tamen abripiebatur ejus cor eò, ubi experiebatur officiositates minus habere phalerarum, & plus substantiæ. Porro hujus ab externa diffusione abstinentiæ & internæ tam perfectæ collectionis, aspernantis omnem curiositatem quantumvis rationabiliter allicientem, dedit singulare exemplum, quando in habitu Sacerdotis sæcularis profectus fuit Romam anno sancto. Etenim tam impigre fuit intentus quæstui illius sanctitatis, quæ eum eo traxerat, ut toto illo tempore, quo commoratus est in illa urbe tam abundante curiosis aspectibus, numquam dignatus fuerit videre palatia, fontes, hortos

amœnitatis, & alia hujusmodi oblectamenta, quæ distrahere poterant, & aliquid habere vanæ curiositatis: quodque magis mirabile, ne quidem illa loca spectavit, quæ quadam specie rerum sacrarum coruscabant, & excusare poterant curiositatem; qualia erant aulæ Cardinalium & ornamenta Ecclesiarum, adeo ut Româ discesserit, ne viso quidem Pontifice maximo, qui erat Innocentius X. Vilia illi videbantur omnia, quæ in mundo pro magnis & sublimibus habentur, & sicut dicit Sanctus Gregorius de divo Benedicto, contemplabatur mundum in radio Solis uno, & apparebat illi tam exilis, ut non esset dignus nostra æstimatione. Aspectus quem fixerat in illum splendidum & jucundum radium divinæ lucis, ita illum rapuerat, ut ita sentiret. Et pro ut testati sunt quidam, qui consuetudine ejus gaudebant frequentius, semper adspirabat ad beatam æternitatem; illam continuò habebat in ore, nec amplius invidia movebatur eorum, qui sicut cedri Libani eminebant in terra, sed eorum sortem æmulabatur,

tur, qui videbantur illi majores fore in cœlo. Vnde cernens ſubinde pauperculos, nutu arridens opulentioribus, inquiebat; iſti miſelli honoratiori loco potituri ſunt in cœlo. Ab iſto divino lumine ita illuſtrata fuit ejus anima, ut ſicut ejus Confeſſarius declaravit, eſſet repleta ſplendoribus, qui conſcientiam illi reddebant ſuam non quidem ſcrupuloſam, ſed delicatam & exactiſſimam in cognoſcendo omni nævo, quantumvis minimo. Et quidem ad impetrandam illam tam perſpicuam notitiam etiam minutarum labecularum, quæ animæ perfectum nitorem quadamtenus obſcurare poterant; non veniebat illi ſolum illud lumen ab alto, ſine ſuo ſtudio gratis infuſum: ſed adhibuerat magnam induſtriam per ſevera & frequentia examina: quippe repertum eſt in ejus annotationibus, quod excuteret conſcientiam ſuam mane antequam egrederetur domo, ſi quidem egrederetur; & ſub prandium iterum, dum erat regreſſus domum. Pari modo à prandio priuſquam ſe componeret ad agendum cum proxi-

 mo;

amœnitatis, & alia hujusmodi oblectamenta, quæ distrahere poterant, & aliquid habere vanæ curiositatis: quodque magis mirabile, ne quidem illa loca spectavit, quæ quadam specie rerum sacrarum coruscabant, & excusare poterant curiositatem; qualia erant aulæ Cardinalium & ornamenta Ecclesiarum, adeo ut Româ discesserit, ne viso quidem Pontifice maximo, qui erat Innocentius X. Vilia illi videbantur omnia, quæ in mundo pro magnis & sublimibus habentur, & sicut dicit Sanctus Gregorius de divo Benedicto, contemplabatur mundum in radio Solis uno, & apparebat illi tam exilis, ut non esset dignus nostra æstimatione. Aspectus quem fixerat in illum splendidum & jucundum radium divinæ lucis, ita illum rapuerat, ut ita sentiret. Et pro ut testati sunt quidam, qui consuetudine ejus gaudebant frequentius, semper adspirabat ad beatam æternitatem; illam continuò habebat in ore, nec amplius invidia movebatur eorum, qui sicut cedri Libani eminebant in terra, sed eorum sortem æmulabatur;

tur, qui videbantur illi majores fore in cœlo. Vnde cernens ſubinde pauperculos, nutu arridens opulentioribus, inquiebat; iſti miſelli honoratiori loco potituri ſunt in cœlo. Ab iſto divino lumine ita illuſtrata fuit ejus anima, ut ſicut ejus Confeſſarius declaravit, eſſet repleta ſplendoribus, qui conſcientiam illi reddebant ſuam non quidem ſcrupuloſam, ſed delicatam & exactiſſimam in cognoſcendo omni nævo, quantumvis minimo. Et quidem ad impetrandam illam tam perſpicuam notitiam etiam minutarum labecularum, quæ animæ perfectum nitorem quadamtenus obſcurare poterant; non veniebat illi ſolum illud lumen ab alto, ſine ſuo ſtudio gratis infuſum: ſed adhibuerat magnam induſtriam per ſevera & frequentia examina: quippe repertum eſt in ejus annotationibus, quod excuteret conſcientiam ſuam mane antequam egrederetur domo, ſi quidem egrederetur; & ſub prandium iterum, dum erat regreſſus domum. Pari modo à prandio priuſquam ſe componeret ad agendum cum proxi-
 mo;

mo; denuo sub vesperam quando se recipiebat ad cubiculum; denique tempore præscripto sub noctem antequam daret se quieti. Quo usu se frequenter excutiendi, meruit & acquisivit illud lumen ut ne minima quidem festuca illum lateret.

CAPVT VI.

Zelus animarum quo flagravit P. Antonius Iulius.

AB illo lumine divino accendebatur in illo magnus Zelus animarum, qui profecto in illo fuit melioris notæ, & singulariter eum impellens, ut omnes nervos intenderet ad eas lucrandas. Si huic studio adhuc Sacerdos ita incumbebat; & concionabatur semper in vitia invehendo, summa libertate & ardore instar novi Eliæ, quemadmodum supra tetulimus, quanto amplius se exeruerit Spiritus qui in illo loquebatur, quando status Religiosus magis propriam illi fecerat libertatem Evangelicam: & si tantopere

re moverit quando ſpiritus eum duxit in deſertum Novitiatus, quanto alacrius eum impulerit, quando ex umbra fuit eductus in publicam lucem imbutus ſpiritu proprio Religionis, cui ſe conſecraverat? Illud in quo ſe magis exercuit, & ſpectabilem præbuit fuit munus prædicandi; miniſterium illi proprium ad quod à Tyrocinio uſque ad mortem à Superioribus fuit applicatus, tamquam functionem ſuæ vocationi apprimè congruentem. In concionibus ejus erat quidem videre vivaciſſimum talentum eloquentiæ naturalis, & acquiſitæ, cum fluxu inter dicendum copioſo, æſtuante, vario, figurato, & robuſto; elaborato ad regulas præceptorum meliorum, ac tali cum artificio, ut in naturam verterit, tantoque minus oſtenderet ſtudii, quanto plus habebat induſtriæ: ſine fucis, ſine affectatione, ſine vanitate, ſine illa levitate elegantiæ quæſitæ, quam quidam floſculos vocant, & ſunt puræ phraſes, aut potius bracteæ pueriles; genus tamen dicendi erat ornatum, grave, majeſtate ple-

num, & supra modum efficax, & appositum ad persuadendum, & movendum tali vi, quæ oblectando animos flecteret, quo vellet; sicut fecerat adhuc sæcularis, quando & in Conciliis Reipublicæ, & in congressibus cum Majestate Catholica, denique in Academiis, ubi dicebat exercitationis gratia, habebat nomen, quod dominaretur affectibus, perinde ac si laus hæc illi esset propria, & hac machina poliorcetica & victrice expugnaret animos adversariorum. Neque tantum valebat dexteritate in affectibus ducendis quo vellet, energiam etiam & vehementiam habebat in promptu, ad vim inferendam quando opus: etenim perorabat cum magno vigore animi, contentione vocis, ardore vultus, plenitudine, & frequentia quasi assultuum, unius post alterum, nullis datis induciis; neque enim desistebat donec extorsisset ab auditoribus signum, quod desiderabat. Quo modo dicendi mirabiliter assequutus est famam celeberrimi Oratoris, inter eos à quibus multorum annorum circumvolutione fuerat

audi-

auditus. At iſta tuba tam bene ex argento elaborata exportato ex Ægypto, quæ naturali ſuo clangore operata fuerat effectus tam miros, ſed naturales; quando cœpit claſſicum canere ex mandato Dei, animata flatu ſacerdotali, edidit multo mirabiliores ſupra naturam effectus haud ſecus quam ſi tot muri Hiericho eſſent deiiciendi, quot animas in vitiis obduratas ruere, & ſe ſubiicere Deo coegit. Contra eos omni laterum contentione animatus ſancto Zelo inſurgebat: quia quando jam erat in ſuggeſtu antequam inchoaret, videbatur qualis revera erat, propter imbecillem ſuam valetudinem, debilis ita & caducus, ut nemo unus non judicaſſet, temerarium in illo eſſe exponere ſe ad dicendum in publico ad confertam multitudinem. Quod imprimis locum habuit quando aliquoties ordiebatur Quadrageſimam recens à morbo, qui non ita multis ante diebus eum lecto affixerat. Mox autem ut pulpitum aſcenderat, totus vigori priſtino reſtituebatur, & loquebatur cum conſueto majorique ſemper fervore,

& juvenili alacritate. Tractabat materias non solum sacras, morales & utiles, sed ut fortius & gratiosius influeret, vestiebat illas, & condiebat tanto sensu, & motu sui, atque auditorii, ut stupendum esset, qui posset habere, non dico affectum animi; sed vires ad tam arduum opus, quod socios nonnunquam sollicitos reddebat, & anxios, ne præ vehementia & œstro dicendi collaberetur in cathedrâ. Ex iis unus qui illi per totam Quadragesimam serviebat, & stipabat euntem ad pulpitum, testatus est; visum illi miraculum, cum esset parcissimi cibi, & plane sobrius, cernere eum concionantem tam ferventer & excitatè; perinde ac si robore corporis nulli cederet, & tanto cum spiritu & devotione, ut tantum non quotidie extorqueret lacrymas pluribus etiam invitis. Vnde in illa civitate acquisivit sibi nomen Apostoli & Præconis Apostolici; & in Episcopio dum habitaret tempore esurialium dierum, audiebat vir Sanctus. Conciones panegyricas, & solemnes non condiebat inventionibus juvenilibus,

& inutilibus ac vanis eloquentiæ prophanæ pigmentis, ſed potiſſimam partem ſolidis argumentis implebat ad fructum & morum emendationem appoſitis.

Si modus & forma dicendi diſplicebat fortaſſe nonnullis, quos Apoſtolus vocat *prurientes auribus, & perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis ſe oblectantes:* nihildum movebatur, nec ſtylum dicendi mutabat ex metu minuendi ideo concurſum Auditorum. Quando Romæ ſacrum Oratorem agebat, nihil erat illi antiquius quam invehi in vitia; nec ulla concio ab eo prodibat, quin ea perſtringeret magno cum Zelo & impetu inflammatæ mentis; nec ideo deſtitit etiamſi id aliquibus accidebat grave & permoleſtum; atque adeo ſe ſubtrahebant, eo quod ulcus quo laborabant interius, nollent tangi: ſed licet innotuiſſet inde auditorium minui, flocci pendebat, & proſequebatur conſtanter impetum ſpiritus ferventem, & utilem, quo impellebatur. Res rara, quam omnes Concionatores ſibi proponunt, & facere ſe velle magnifice

nifice pronuntiant; verum enim vero in aliquibus qui ſeduci ſe ſinunt dulci illa cupiditate accommodandi ſe genio Auditorum ad alliciendum, deſideratur nimis quam frequenter: ſed noſtro P. Antonio erat ſemper ferrum magiſtrale in manu, ad ſalubritet feriendum, & extrahendum, ſi non ſanguinem, ſaltem lacrymas pretioſas. Raro videas tales ſucceſſus in Concionatoribus, qui blandiuntur, & auram captant popularem. Abeunt ex eorum concionibus Auditores nec puncti, nec compuncti: at comperies quod plerumque qui evangelicè detonant, & mordent flagitioſos, concurſu gaudeant. Quia experientia comprobatur, quod ejuſmodi tonitrua etiam placeant iis, quos non percellunt: malunt quippe audire dicentem cum ſpiritu & fervore, quam aſſentantem. Non opus habuit P. Antonius Iulius magno ſtudio, ut Deo offerret illud ſacrificium, quo ſe privaret ſolatio auditorii frequentis, etenim hoc illi erat familiare, tanto plures habere præſentes, quanto utilius, ardentius, & Zeloſius declamaret.

ret. Et si eveniret quod nonnemo se doleret tactum ex altiori loco, ab illo, inter dicendum; non offendebatur, nec male illi volebat, etiamsi sensum retineret; quoniam considerabat, quidcumque prolatum de se fuisset; non prolatum ad lædendum, sed ad sanandum. Ita concionatus est illis octo vel novem annis, quibus post tyrocinium vixit in Societate Romæ, Mediolani, Genuæ, Taurini; & aliis nobilioribus Italiæ civitatibus, non minori semper plausu, quam fructu, & concursu numerosissimo; & in quibusdam locis tam immenso, ut multis horis ante initium concionis, templa multum capatia non caperent multitudinem Auditorum. In Quadragesima quam dixit Mediolani; non solum habuit multitudinem parem diebus solemnioribus; sed præterea affluentiam incredibilem Ecclesiasticorum, Religiosorum omnium Ordinum, & Nobilitatis. Quin & Excellentissimus Dominus Comes de Fuensaldaigne, per id tempus Gubernator Mediolanensis, intricatus gravissimi ponderis negotiis, quæ deriva-
ban-

bantur ex Pace æque ac Bello, cui finis tum erat impositus; otium sibi faciebat ut concioni interesset: & seponendo etiam illa quæ per cursorem adferebantur ad suam Excellentiam; & aulica quæ tractabantur in palatio; veniebat omnibus prope diebus Quadragesimæ ad audiendum P. Brignole; atque adeo ut facilius se sisteret, & in silentio; veniebat sine apparatu, sine stipatoribus, sine pompa, vectus biga, cum significatione probatæ pietatis & utilis cupiditatis eum audiendi cum voluptate.

Non solum per Quadragesimæ tempus quod pietatis ferax est & ad illam favet conciliandam; sed etiam tempore Adventus, quando pluviæ, & hyemis frigora incipiunt desævire; & in languoribus æstatis, quando Syrius ardet, aliisque quibusvis occasionibus concionandi, perpetuo fuit cupidissime auditus & expetitus. Æstate una qua Genuæ morabatur, die Veneris quodam *bonam mortem* fecit. Ita indigetant quædam exercitia devotionis, quæ diebus Veneris, aut alio die per

heb-

hebdomadem commodo fiunt in honorem pretiosæ mortis Redemptoris; & ordinantur ad impetrandam à fidelibus felicem mortem, qui se illi congregationi inscribendos curant, & præscripta ejus observant. Obeuntur hæc magno cum emolumento spiritus in multis urbibus Italiæ; at in domo Professa Genuensi nihil deest ad concursum populi æque ac affectum & decorum singulare. Illo anno tamen, quo ibi auditus est P. Antonius Iulius, fuit extraordinarius concursus populi, Nobilitatis, utriusque sexus virorum, ac mulierum, quibus cupiditas eum audiendi, tolerabilem faciebat æstum, paulo post prandium sumptum; & in istis magnis caloribus replebat templum. Patri autem non erat satis proponere simplex punctum ad meditandum de cruciatibus Christi, aut incertitudine & conditionibus mortis nostræ; verum animabat argumentis tam validis, & vi dicendi tam pathetica, ut universim fletus cieret, neque illos steriles sed fœcundos operum bonorum & stabilium conversionum. Similiter anno

1661. qui præcessit illum, quo ex hac vita migravit, in templo Sancti Fidelis Mediolani, ubi celebratur cum magna Solemnitate & devotione novena in honorem S. Francisci Xaverii; dum quotidie vesperi Pater ibi dicendo se exerceret, & impetum spiritus laxaret, semper habuit templum refertissimum. Vna autem vice auditus ab Illustrissimo, nunc Eminentissimo Cardinali S.R.E. Alphonso Litta Archiepiscopo Mediolanensi; qui venerat sua sponte non invitatus, nisi famâ, quæ de eo percrebuerat: ita influxit & lucratus est benevolentiam istius amabilis Prælati, ut quantocyus eum depoposcerit ad dicendum per solemne jejunium in sua Cathedrali; & fuerit opus solvere eum promissis alibi factis, intuitu tam magni Præsulis & vastissimæ illius Basilicæ, cui solum præferendum est cœlum, quod non nisi post mortem obtinetur. Genuæ vero ubi sæpius concionatus est; quo diutius diceret, plus spiritus in eo percipiebatur qui nunquam languesceret, sed augeretur; quod Auditores ei cumulabat, qui nunquam fuere

fuere crebriores, quam quando mortuus est. Dignus profecto qui finiret vitam stans, sicut egregius Imperator inter victorias, in illo ipso labore, tanquam nobilissima, & sanctissima occupatione totius suæ vitæ.

Verum tamen fructus concionum ejus non consistebat in concursu sterili, sed sequebantur motus compunctionis, conversiones personarum sordescentium, & senescentium in vitiis, quas ex voragine illa potenter virtute spiritus sui extrahebat, mutationes vitæ admirabiles, eleemosynæ largiter erogatæ, & alii effectus notabiles Deo gloriosi. Prædicante eo per Quadragesimam Genuæ, Nobilis quidam occurrit duobus è nostris, qui ab eo quæsierunt, quam concionem eo mane habuisset P. Antonius Iulius? Quid ille, nequaquam parcus laudator, respondit? Supra omnem modum utilem, quam majore solito efficacia & entheo ardore hodie ad finem usque prosecutus est. Cogor hoc dicere, inquiebat, quia filius meus juvenis petulans, & in iram pronus, rediens è concione do-

domum, abdidit se in cubiculum; totus attonitus, & absorptus; noluit venire ad mensam, & cibum sumere; atque rogatus quid ei deesset? Non habuit aliud dicere, quam illa concio, illa concio tam insignis cor meum nimium quam pupugit. Neque toto hoc die prodiit è conclavi, nec ullum ad colloquium admittere voluit. Hujuscemodi motuum constanter immobilium in animabus, quos organum hoc Spiritus sancti excitavit ad salutis semitam capessendam, effectus perquam frequentes adduci possent, si particularis eorum memoria fuisset servata; sed copia fecit vulgares, ideoque minus sollicite in adversaria relati sunt fructus prodigiosi, quos gratiæ opitulatio cooperans facundiæ & spiritui, & exemplo vitæ religiosissimæ, quin & recordationi ejus quis fuerit in mundo, & quam generose eum aspernatus fuisset, produxit. Unde cum transiret Bononiam rogatu nostrorum Patrum, quasi ex improviso conscendit suggestum tribus festis Pentecostes, & repræsentavit, prout scribit unus ex illis,

lis, qui audivit dicentem ; ad vivum, Beatum Patrem Franciſcum Borgiam, concurrente tota civitate, quaſi diceret ſe venire magis ad contemplandum, quam audiendum virum notum omnibus, qui ſola ſua præſentia potentius quam eloquio perſuaderet contemptum mundi: Confirmatur hoc ex eo, quod concionante eo Romæ cum fama eloquentiæ victricis animarum, quas Deo conciliabat, ſummus Pontifex Alexander VII. dixerit, ſe non mirari, quod fuerit tam omnipotens in aliorum vita mutanda, qui fuiſſet tam generoſus in mutanda ſua; & perſuaderet deſpicere mundum, qui exemplo ſuo ei nuntium mittere docuiſſet.

Porro illa functio evangelizandi verbum Dei non conſtabat illi exiguo labore & moleſtia. Solus labor & tædium ſe parandi erant illi graviſſima. Invenitur ab eo ſcriptum in hanc ſententiam. *Iam accingo me ad agendum, vel ut melius dicam, vim mihi inferendam, ut me fatigem, ſententiis quibuſdam latinis memoriæ mandandis pro mea concione; quippe durante debilitate memoriæ*

ad imprimendum intellectui ad verbum res latinas, oporteret me non cogitare de quadragesimali dictione; totum enim tempus deberem huic vexæ impendere, ut nihil mihi amplius otii superesset. De hoc defectu memoriæ sæpe querebatur, & quamvis nonnulli putarent, dicere hoc illum ex humilitate, ad celandam suam felicitatem, quæ inter dicendum non poterat non apparere; ex eo tamen, quod per modum querentis, exponebat quid in hoc genere pateretur, iis, cum quibus fidenter conversabatur; fidem faciebat, quod cum haberet complexionem cui multum terrei erat admixtum, uteretur memoria utcumque difficili ad apprehendendum, licet fideli in proferendo. Præterea detentio illa quadraginta dierum esurialium, homini solito frui sua libertate, erat tædii tam intolerabilis, ut semel in una sua epistola diceret. *Incipio paululum respirare in aëre libero, terribili vinculo quadragesimæ exsolutus.* Iterum aliàs. *Expertus sum auxilium efficax orationum, quas pro me fuderunt amici, quod potuerim cum sanitate nunquam interrupta, continuare totum il-*

lud

lud onus quadragesimale, quod vix potueram sperare, ob ordinariam meam debilitatem auctam per extraordinariam indispositionem, quam sentiebam immediate antequam telam ordirer. Fateor tamen me perpessum gravissima fastidia quæ vel meminisse molestum est. His & similibus formulis exponebat, quid pateretur ab istis tædiosis molestiis, certè non exiguis: etenim declarabat eas tali cum sensu, homo ceteroqui non facilis in manifestandis, ne dum exaggerandis suis passionibus, ut planum esset ex plenitudine cordis ea proferri. Accedebant alia incommoda defluxionum & infirmitatum contractarum ex labore concionandi, vel ortarum ex lucta quam subibat, ut superaret aversionem, qua affligebatur in se præparando. Semel contigit ut curaret catharrum, qui deciderat in linguam, & impediebat quo minus tam expedite loqueretur, ut putabat decere; & ne Auditoribus molestiam pareret, longæ curationi se commisit, & adhibuit remedia abstinentiæ, ciborumque abstergentium; donec videret non succedere, nec prodesse quidquid malo

abigendo adhiberet; imo gravius damnum sibi timeret à complexione alias sicca. Quam ob causam coactus fuit desistere. Quando concionatus fuit per Quadragesimam in insigni collegiata Ecclesia S. Michaelis, quæ Lucæ est, discessit tunc temporis Genua, tam male affecto corpore, ob intemperiem humorum, qua laborabat, & temperamentum dissipatum, ut præter alia accidentia haberet tibias inflatas & debilitatas, & præter cruciatum quem provocabant, vix pedibus consistere & gressum dirigere posset. Quapropter ubi Lucam venit, sicut Angelus Dei acceptus à Domino Decano S. Michaelis Prælato illi & Societati addictissimo: coactus fuit Medentibus se tradere, qui unanimiter censuerunt quod considerata mali occasione, complexione Patris, exiguis viribus, tempestate anni adversa, utpote frigida, quibus jungendi essent labores concionum, quas intra tres quatuorve dies deberet auspicari; temerarium foret si curandum eum sumerent, & niterentur impedire, quo minus malum, quod eum cor-

corripuerat, non ingravesceret; atque adeo censuerunt in ea ætate & defatigatione, ut arte sua prorsus sibi restitueretur, sperari non posse: sed commodiorem curam suo tempore præcipiendam. At Pater quemadmodum ratione invaletudinis non fuit cohibitus, quin Lucam veniret, ita non est passus Zelum suum intepescere, nec animos deiecit metu mali augendi, verum non obstante denuntiatione Medicorum, licet spectatæ essent auctoritatis & peritiæ, statuit concionari; & auspicatus est, placuitque Deo ardens servi sui desiderium sibi gratificandi, etiam cum periculo suæ sanitatis; & concurrit tam provide, ut sine ulla potione purgativa, vel remedio; sine balnei tepidi usu ex aqua minerali, Pisa in eum finem evocata, & ei præscripta; Pater solum sibi propositam habens salutem spiritualem proximorum, senserit assidue in melius proficere salutem suam corporalem: nec enim in fine concionum deprehendit amplius tumorem in tibiis malo omni profligato. Qui eventus habitus fuit si non miraculosus, ad mi-

nimum actus opis divinæ valde prodigiosus. Dicens ergo indies cum ea invaletudine, quæ toti civitati erat explorata, ascendebat pulpitum ita male affectus, & ex remediis tam pallidus, emaciatus, & exhaustus; & initium dabat concioni voce tam languida & debili, ut serviverit pro exordio valde pathetico, quia in auditoribus semper frequentissimis prodebat se teneritudo, compassio, & devota quædam commiseratio. In progressu tamen dictionis acquirebat pedetentim plus & plus alacritatis & fortitudinis, ut respiratio fieret illi tam valida, & se intenderit fervor pectoris, vocis, & affectus tam expeditus, ut qui erant semper præsentes dixerint; eum quandoque videri potuisse, vomere ignem & flammas, & spargere incendia; certe excessisse vires naturales hominis etiam bene robusti, nec suppetere modum explicandi, quos motus faceret in animis Auditorum, mœsta illa & pia in principio compassio, superveniente stupore & terrore, quem concipiebant in progressu & fine concionis, ex tremen-

menda & efficaci peroratione qua invehebatur in peccata: melius tamen hoc comprobarunt opera quam verba: ſiquidem ultra innumeras exomologeſes, quæ per totam civitatem inſtituebantur, quidam Societatis Sacerdos, qui comitabatur P. Antonium Iulium toto die, mane, & veſpere, vidiſſe ſe, ait, perpetuo obſeſſam ſedem confeſſionalem pœnitentibus. In fine autem quadrageſimæ, tantum in audiendis confeſſionibus generalibus, etiam ſpectabilium perſonarum ſæcularium æque ac Eccleſiaſticarum, occupabatur quotidie uſque ad tertiam vel quartam horam noctis; ſic metens fructus ad maturitatem provectos falce Apoſtolicæ prædicationis. Non deberent tolerantiæ exercitationibus, ad quas zelus eum impellebat, accenſeri viæ perdifficiles, & arduæ ſuperatu; utpote omnibus Concionatoribus communes, niſi illi triplicato labore ſtetiſſent, ob continuum languorem & ſtrictiſſimam paupertatem, quam ſibi in viaticum aſſumpſerat, quando iter faciebat, uti poſtea dicetur. In hac ſerie poſſet me-

rito collocari assiduitas concionandi per totum annum, à qua non fuit possibile illum exonerare; quia tam avidè expetebatur ab Episcopis, & urbibus, quibus non poterat concedi quadragesima, oportebat eis satisfieri per adventum & æstatem. Et licet multi superiores considerantes, quod si posset per hyemem aut ad minimum æstatem desistere à concionando, in meliorem formam reducenda esset ejus non modo sanitas, sed etiam dicendi gratia magis perpolienda, viderentque per laborem nunquam interpolatum periculum creari, paucis tantum annis, ejus potiundi (ut deinde evenit) nisi eum ab assiduitate illa liberarent, & darent inducias justæ & necessariæ quietis. Neutiquam tamen induci potuit vel experientia propriæ debilitationis vel persuasionibus amicorum, ut suorum conatuum fructibus fraudaret sive bonum publicum, sive Dei honorem. Nunquam sane sibi iners otium postulavit, sed semper prompte & alacriter se contulit quo mittebatur. Hanc ob rem aliqui non judicantes, hoc illi eve-

nire

nire ex motivo robustæ, & lassari nesciæ virtutis; sibi persuadebant quod ad labores impelleretur irritatione quadam propensionis naturalis, illi usitatæ etiam in vita sæculari, quæ solet non parum id, quod per se arduum est & molestum temperare. Verumtamen ut fuerit olim illi proclive in sæculo se probare præstantem Oratorem; conträ qui eum intime perspectum habuere in Religione, melius aliis callebant, honorem Dei & Zelum animarum non potuisse plane tollere asperitatem molestiarum & difficultatum quas patiebatur. Dixitque nonnemini confidenter: quod etsi fuisset certus, habiturum se præsentes, omnes Mundi Reges & principes inter Auditores: & relaturum omnem plausum imaginabilem; nihil eorum permoturum se fuisse, ad assumendum laborem, quem exhauriebat. Concionari se intuitu dumtaxat amoris Dei, qui solus posset digne remunerari. Iste amor Dei, & Zelus animarum tam insaturabilis, non solum eum provocabant ad concionandum toto anno, sed quando nancisci pote-

rat pascua copiosiora, quam essent ordinariæ conciones, illa sequutus, insidiabatur ad cumulum nunc huic, nunc illi escæ minori. Finitis igitur concionibus quadragesimæ, tempore tam modico Paschalis solemnitatis, necessario imprimis ad vires restaurandas; vel feriis autumnalibus, etiamsi per æstatem non quievisset, non cessabat ab operibus charitatis in obsequium animarum, ad quæ Spiritus eum impellebat. Ibat adhortatum Monachos in Oratoriis, & eos quos in triremibus scurras inveniebat, libentius vero ac sæpius in hospitalibus, & carceribus ærumnosos, ut permoveret ad confessionem & succurreret animabus eorum pariter & corporibus. Uti de facto ejus intercessione à multis quibus pietas erat cordi, etiam fuerunt adjuti. Mediolani in hanc rem intentus, ut captivis solatio esset, cum in uno carcerum deprehendisset non esse sacellum; unde miseri illi inclusi privabantur Sacrificio Missæ: ostendit se multum mirari; & tantum effecit rogando & exhortando, ut brevi tempore fuerit excitatum unum,

cui provisum fuit de celebrante. Efficacius adhuc hujusmodi operam impendit Genuæ, ubi certior factus in Lazareto quod vocant *foce di Bisagno*, quo multi pauperes confluxerant, etiamsi locus illis non esset destinatus, & à Magistratu Pauperum multi centeni ibi sustentarentur templum deesse, quod in tanta animarum multitudine erat plusquam necessarium; Zelo illico succensus, cum esset adhuc in statu Sacerdotis sæcularis, statuit ibi facere concionem, quo, quamquam facile milliari dissitus esset à civitate locus, concurrerunt plurimi nobiles ad eum audiendum. Dixit tanta cum vehementia; ut excitaret præsentes ad conferenda subsidia istis miseris, in opus, quo maxime animabus consuleretur, & in præsentiarum in fabricam alicujus Ecclesiæ: ut de facto collecta fuerit summa pecuniaria tam notabilis, quæ sufficeret ad ædificium ædis desideratæ, licet non magnæ. Non stetit in hoc ejus desiderium: censebat illi quasi impossibile, ut tum propter distantiam loci à civitate, tum ob defectum aquæ,

aquæ, aliarumque rerum necessariarum, pauperes perpetuum isthic domicilium haberent. Quod tamen ardenter cupiebat videre stabilitum, cum quadam reformatione, quæ erat recenter introducta in temporalibus juxta ac spiritualibus. Erat istius opinionis quod eleemosynæ manuales, quæ dantur stipem petentibus mendicis, non essent tam utiles, nec pro animabus illorum, nec pro publico bono, nec pro ipsamet necessitate eorum corporali; quemadmodum sunt illæ quæ diriguntur ad negotium stabile, & vitæ ad bonum ordinem compositæ fundationem: ubi non solum boni mores & doctrina Christiana docentur, sed etiam artes & opificia, quorum ope, postea illo loco egredientes, honeste vitam possent sustentare. Qui modus juvandi pauperes, præterquam quod sententia fuerit aliquorum, eum ex præscripto divino usitatum fuisse in Republica Hebræorum, etiam ab Apostolis in primordiis Ecclesiæ nascentis fuit adhibitus. Quare Sixtus V. in constit. 57. *Quamvis infirma* eumdem sanci-

vit

vit Romæ, ob rationes prægnantes & convincentes quæ probabant eum esse non solum utilem & congruum, sed etiam necessarium ut in ordinem vitæ Christianæ redigeretur illa colluvies, & fæx civitatis quæ nulli Parochiæ alligata, quia certum non habet domicilium, facillime se subtrahit omni correctioni superiorum; & præceps abit in omnia vitia, & morum dissolutionem.

Itaque P. Antonius Iulius ut operam suam conferret in rem tanti emolumenti, pro animabus & gloria Dei, æstimatam & à se, & in aliis regionibus maxime in urbe Genuensi, multis è capitibus pro longe utilissima: loquebatur sæpenumero & privatim & publice in commendationem illius negotii, quin & fecit de industria integram in illum finem concionem, qua rationum pondere accedente movit, & plurimum animavit præcipuos cives ad aggrediendam & promovendam rem tantæ utilitatis, & ut exemplum daret manus liberalis, quam linguâ facundâ prædicabat; cum dedisset itaque Ma-

gistra-

gistratui pauperum quadraginta millia nummorum Florentinorum(de quibus dictum est superius) reservata sibi libera declaratione, in quæ opera pia deberent fructus tantæ summæ impendi; exposuit suam esse mentem applicandos erectioni fabricæ, quæ ad hunc finem splendide exstruebatur, extra portam Carbonariam, prope antiquos urbis muros, situ multo commodiore, quam haberet Lazaretum *della Foce* ad cogendos pauperes vagabundos, ibique alendos & coercendos. Ad quod opus accelerandum in testamento suo adiecit adhuc quatuor millia, & quod superat, scutorum Romanorum, sicut supra perhibuimus. Denique sub finem vitæ habuit hoc solatium, quod viderit se multum debere charitati, & diligentiæ Excellentissimi Domini Emmanuelis Brignole, dignissimi sui cognati, & munificæ pietatis imitatoris: voluit enim inter ultimos vitæ halitus eam afflare nonnullis aliis Dominis sibi propinquis & amicis. Ita Spiravit usque ad vitæ suæ clausulam Zelum animarum & charitatem erga proximos, etiam

etiam occupatus illis curis, quando cogitans de ſolo tranſitu ſuo in cœleſtem patriam, ſepoſuerat omnia alia negotia, & ſollicitudines rerum terrenarum.

Cæterum huic operi miſericordiæ, quod ſcopum ſibi proponit ſubſidium animarum, non vacabat ſpecie tenus, languidè inquam ac oſcitanter, ſed ſeriò, alacriter, & hilariter, præcipue ſi aliquem de domo concerneret. Videre enim fuit in quibuſdam Collegiis, & domibus in quibus verſabatur, plurimum illum reſuſcitare ſuo exemplo & converſatione, fervorem in procurandâ per diverſa opera, Dei gloriâ: & multi qua Sacerdotes ſæculares, qua noſtri Patres proximorum auxilio deſtinati, faſſi ſunt ſe multoties deliberatos ad ſubtrahendum ſe alicui operi charitatis, vel laboris metu, vel quod viderentur ſibi nimio onere prægravati, & ſub occupationum multitudine fatiſcentes diſſuaſos, animos reſumpſiſſe ad perſeverandum in ſua Sancta functione; fervore invicto adhortationum Patris Antonii Iulii, cui confidenter

ter aperuerant suas cogitationes sibi restituti. Familiare enim illi erat, eos compellere ut Deo fiderent, nec honoris ejus curam deponerent, sed vocationis suæ memores, satagere pergerent in eo opere non dimittendo. Genuæ adhibitus doctrinæ Christianæ explicandæ rudibus, & sordidis pueris; in plateis & compitis civitatis eos colligebat, & deducebat ad claustrum domus Professæ, ac ibi in rudimentis rerum animam spectantium, eos erudiebat tam amabili charitatis obsequio, longo temporis spatio, ut pueri illi quantumcumque impoliti, & petulantes, benevolentia tamen sui Magistri tam amabilis, catervatim à prandio sumpto ad eum currerent, & invicem invitarent ad eum quærendum, etiam neglecto prandio, ut fruerentur pabulo spirituali, & alimento quod noverat condire apposite ad eorum palatum, & tam sapidum reddere, ut appeterent etiam nauseabundi. Pari modo in domo Professa Genuensi, etiamsi ibi non versaretur nisi per modum transeuntis, aut ad concionandum; voca-

vocatus nihilominus à Portario ad excipiendas confeſſiones in loquutorio, ibat confeſtim, nec unquam ſe excuſabat prætextu cujuſcumque impedimenti. Imo vero rogaverat portæ cuſtodem, ut ſibi neutiquam parceret, ſed omni tempore interpellaret, in quo fuit ſubinde exauditus; accurrebat autem tanta promptitudine, ut evenerit illi non nunquam, quod opus illi eſſet interrumpere, &, ſæpius uno die iterum, officium inchoare. Maxime autem ferebatur in Confeſſiones pauperum audiendas, quod munus obibat, cum tanto affectu, ut multi eorum jam abſoluti, dum abirent, quærerent ab Atrienſi: quis ille eſſet Pater? Dicerentque quod eſſet ſanctus. Nec in illo dumtaxat; ſed in aliis inſuper locis, ubi ad breve tempus morabatur, aut ad populum dicebat, fungebatur libenter munere Confeſſarii, inſigni cum fructu pœnitentium; verſans per æſtatem aliquando in Albaro, loco vicino Genuæ, ubi propter frequentem nobilitatem, quæ eo menſibus ob caloris flagrantiam æſtuantibus,

bus, se recipit ad vicina civitati viridaria ut delicietur; qua de causa domus Professa, per id tempus habet ibi præsto aliquot è suis Patribus, per modum Missionis ad solita ministeria Societatis, cui semper hamus pendet; dum concionibus utilibus habendis ibi insudaret, non videbatur illi alimentum sufficiens igni voraci suæ charitatis, quo solo festis diebus pascebatur; sed in ipso illo loco dilatabat cor suum, & feriatis etiam diebus animis juvandis se strenue impendebat; excurrensque ad vicinum fluvium Orientis, adiecit Missionem in Sancti Martini vico, quæ ipso adlaborante per exercitia devotionis multum emolumenti attulit populis illius districtus, & Nobilitati per illum tractum dispersæ & rusticanti. Impedivit diversa tripudia, & dissolutas ludorum petulantias; Tradidit doctrinam Christianam, tertio aut quarto per septimanam; separatim autem Hortulanis, & pedissequis, & adolescentibus sanguinis claritudine à fæce vulgi secretis. Ita in hoc opere charitatis consumebat dies
&

& horas, quas æquum fuiſſet ſibi ſumere ad quietem. In itineribus quæ multa oportuit eum abſorbere, habebat optatam occaſionem ſocios, in quos per viam incidebat, in ſpiritu adjuvandi. Sæpe numero agens cum claſſiariis, & nauticis hominibus, rhedariis, & aurigis, agazonibus, & mulionibus; cum cauponibus & eorum famulis in diverſoriis, & cum omni conditione hominum derepente eos adoriebatur diſcurſibus de rebus ſpiritualibus, omnibus annuntians verba ſalutis cum artificio gratæ affabilitatis, qua ſe mirifice inſinuabat, ſimul & efficacitatis, nullum medium omittens, aut opportunitatem, quam arbitrabatur idoneam ad inſtruendum, corripiendum, & ad morum emendationem impellendum; potiſſimum inculcans illis præcepta doctrinæ Chriſtianæ, & exhortans ad peccatorum expiationem: atque hac induſtria extorſit ab omni genere hominum aliquot non pœnitendas ſed multum deprædicandas Confeſſiones. Et licet aliquoties in tempore & loco viderentur ſermones

ejus intempestivi, non supersedebat idcirco seminare semen verbi Dei *opportunè, importunè*, & Deus dabat incrementum, atque adspirabat desideriis tam ferventis Operarii, & omnia sortiebantur successum: uti factum est quando cum aliis sociis se contulerat in Carcerem Mediolanensem, ut miseris illis captivis, & quo ad corpus, & quo ad animam opitularetur. In egressu Præfectus carceris vir satis timoratæ conscientiæ, laudabat Patres quod in reducendis istis perditis ad frugem, officio suo perquam laudabiliter fungerentur. P. Antonius Iulius ignarus quam bonæ mentis esset homo ille, & forte ratus esse suo officio conformem, vertit se ad ipsum, & interpellavit hac interrogatione: Et tu bone vir quando redibis in viam? & prosequutus est admonitionem oppido severe hortans eum ut plus sollicitus esset de anima sua propria, quam de corporibus detentorum; magna cum admiratione Sodalium, & metu ne homo ille cæteroqui probus, & benevolus illis, qui veniebant, ut suis captivis bene facerent,

rent, maneret offenſus. Ipſe tamen reprehenſionem cepit in bonam partem, & cum humilitate reſpondit: ſe venturum ad Patrem, apud quem bonam vellet inſtituere Confeſſionem. Pater autem certior factus de hominis integritate & fruge, manſit confuſus, & de illa importuna reprehenſione ſe ipſum corripuit. Profectus Genua Lucam, ut ibi Præconem Evangelicum ageret, coactus fuit Maſſæ tantiſper ſubſiſtere, & ob intemperiem auræ, & ad inſtantiam Principum utriuſque ſexus, ibi commorantium, à quibus fuit magna cum ſignificatione affectus perhonorificè habitus. Atqui ipſe perſuavit ſibi ſe eo delatum, non in ſuum commodum; ſed ut laboraret in bonum animarum. Erant illo tempore dies Bacchanaliorum; qui actutum fuerunt mutati in dies devotionis. Nam Domini illi in gratiam P. Antonii Iulii curarunt exponi ſolemniter venerabile Sacramentum, per orationem quadraginta horarum. Ubi ipſis aſſiſtentibus, & ingenti concurſu populi affluente, licet ubertim plueret; Pater

ter concionatus est singulari cum devotione sua, & Auditorum. Ita dies illi alias Cacodæmoni festi, traducti sunt sanctè ludis spiritualibus publicis, & privatis, in fundendis precibus, audiendo sacro, maxime Patris, qui fuit rogatus, ut diceret illud in Palatio, ad istarum Excellentiarum consolationem. Atque ita, si ibidem fuerit aliqua recreatio, illa hausta est ex musica spirituali, composita ab ipsomet Principe; qui eum sciret quantum Pater oblectaretur concentu ejusmodi harmonico, detinuit eum secum aliquot vesperis, ut frueretur illa dulcissima devotione. Similiter Mediolano se conferens Taurinum ad prædicandum Adventum, cum ob abundantiam aquarum quas offendit, traiicere vetaretur, coactus fuit uno alterove die morari in aliquo territorio Navaresii, quod gerit nomen Burgi Vercellensis. Hic ne esset tantisper otiosus, insiluit in eum spiritus Domini, & quo commoratio illa esset non inutilis populo (quod deberet esse principium omnium hominum de Societate, ut deferrent

rent pacem & ſalutem in omnem domum, quam intrarent) ſtatim convenit Parochum & perſuaſit ut boni conſuleret, ſi cum ibi non haberet, quod ageret: bona ejus gratia poſset per modum Miſſionis quadamtenus occupari. Pulſatæ ſunt campanæ, concurrit populus, Pater incipit prædicare cum tanto fervore, ut cum dixiſset per ſeſqui horam ſpuerit ſanguinem. Omnes credebant rupiſse eum ſibi venam in pectore, ſed Deus noluit tam caro illi ſtaret lucrum illarum animarum, & cito ſanatus eſt.

Demum patuit quam parvus illi viſus fuerit Mundus ad ignem ſui fervoris, quandoquidem ambiverit traiicere Oceanum, ut ad orbem novum penetraret; inventus enim eſt calidiſſime commendare ſe orationibus P. Alexandri Fieſchi, ut poſset impetrare Miſſionem Indiæ Occidentalis, & petere tamquam à ſuo Patre ſpirituali, qualis tum temporis erat, ut ſibi inſpiraretur: quid futurum eſset è majori Dei ſervitio, & profectu ſpiritus? Permiſit illi Pater, ut deſiderium ſuum Superiori

manifestaret, quod fecit tam ardenter, & iteratis frequenter litteris obsecravit, ut admitteretur ad molestam illam, & periculosam vineam, cui non dubitabat ætatem suam jam declivem, & vires suas jam attritas, & fatiscentes consecrare. Semel percunctatus, cur tam importune expeteret expeditionem, ad quam antequam perveniret, poterat probabiliter timere; quod propter senium, & debilitatem in longo illo tractu Maris emetiendo, esset moriturus? Respondit, aut ad abrumpendum sermonem; aut quod illud esset ejus judicium humile, simul & ardens; *Prorsus hoc ipsum est meum desiderium, & ideo hoc appeto: ut possim carnem meam dare in escam piscibus maris, si non sum dignus sanguinem dare pro Christo.* Videns dein suas preces non exaudiri, ad minimum decrevit vitam suam devovere operibus charitatis, cujus specimen egregium dedit, quando Deus flagello pestilentiæ civitatem Genuensem, in qua versabatur, anno 1656. afflixit. Comparavit animum suum ut in sua patria Indias reperiret,

obtu-

obtulitque generoſe Deo & Superioribus vitam ſuam in victimam, quam impenderet totam nobiliſſimo exercitio charitatis. Non obſcurum fuit, quantopere in illo opere ſe promptum & alacrem exhiberet: etenim vix cœperat lues graſſari, quando venit quodam die homo feſtinus expetens Confeſſarium pro altero, qui paulo prius correptus fuerat contagione. Cum caſu eſſet in loquutorio P. Antonius Iulius, & audiret caſum, quam mox ſine dilatione cucurrit ad Superiorem, & proſtratus in genua ſupplicavit, ut permitteret ſibi illo opere charitatis perfungi, pollicens quod ſummæ gratiæ loco veniam illam eſſet ſemper habiturus, eo quod per illam nanciſceretur oportunitatem optimam divinæ juſtitiæ pro ſuis peccatis ſatisfaciendi. Noluit tamen eum Superior ſciens & volens obiicere diſcrimini tam præſenti, ſed potius ſubtrahere conniſus eſt; altero uſus, qui & ſubivit. Hinc illi dictum, quod neceſſitati aliter fuiſſet proviſum, & quod Deo ſola ejus voluntas accepta eſſet futura; cæterum quod

reservaretur aliis laboribus pro amore ejus subeundis. Vehementer doluit de repulsa: sed inde arripiens occasionem se humiliandi, dixit postea uni amico: Speraveram ista vice expurgare, & delere omnes meas culpas, per actum unum heroicum. Verum enimvero sunt tam immanes, ut præpediant me quo minus illis satisfaciam, oppetendo mortem ex charitate.

CAPUT VII.

Charitas P. Antonii Iulii erga proximum in rebus temporalibus.

CHaritati erga proximum, quod spectat bona animæ, ob affinitatem, congrue copulari potest Charitas erga Proximum in bonis corporis, & alterius modi obsequiis. Quemadmodum dum esset sæcularis, in eorum beneficium tam largiter profudit suas facultates, ita dum Religioni se dedisset damnavit se, ut personam suam illis devoveret; imitans illud Apostoli: *ego autem libentissime impendam & superimpendar*

dar ipſe. Quantum huic virtuti exercendæ incubuerit, luce meridiana clarius patuit in occaſionibus permultis, cum promptitudine perpetua, & amabili propenſione, omnibus gratificandi, etiam cum incommodo ſuo. Apparebat in illo ſenſus quidam teneritudinis erga unumquemque, qui patiebatur, & facilitas quædam contracta ex longo uſu afflictis ſuccurrendi, ut videretur verſa in naturam. Poterat merito dicere: *Ab infantia crevit mecum miſeratio.* Cum tranſiret Patavium, ut tenderet Genuam cum duobus aliis ex noſtris Religioſis, venit primo mane Mulio, quem vettorinum in Italia vocant, cum jumentis, quibus inſiderent. Pater traxit eum ſeorſum, & informari voluit; quod eorum eſſet deterrimum. Illud ſumpſit ſibi, & ſociis reliquit commodiora, eo quod eſſent debiliores, & parum valentes. Illa tamen virtus fuit ex illis una, quarum actus multos edidit, quamvis pauci fuerint obſervati: quia illi erant ei communes, & uſitati: nihil enim illi ſolemnius, quam in itineribus & Collegiis, in ve-

ſtitu,

ſtitu, & cubiculis, & omni alia re, calliditate uti & induſtria, ut aliis optima quæque cederet. Quantum diverſus ab illis miſeris Religioſis tam abiecti cordis, ut excogitent aſtute media, quibus ſerviant ſuis ſenſualitatibus, & non ſine nota inurbanitatis de optimis quibuſque ſibi præ reliquis proſpiciant! non ſatis memores illius Regulæ, quam vellent eraſam, monentis quod ſibi perſuadere debeant, quæ viliſſima erunt; ex iis quæ domi ſunt, ſibi tribuenda ad majorem ſui abnegationem, & quæſtum rerum pretioſiorum. P. autem Antonio Iulio alte inſederat animo, omnibus viribus conniti, ut non ſolum in victu & veſtitu Religioſis ſibi æqualibus, ſed etiam famulis domeſticis pejus haberetur. Hinc factum eſt, quod cum in Collegio Mediolanenſi fregiſſet ſibi tibiam Piſtor vel furnarius, ſæcularis homo, qui morabatur nobiſcum, & miniſtrabat in domo; Pater adiverit illum, ut conſolaretur in lecto decumbentem; quod officium charitatis moris habebat exercere erga omnes infirmos: inter verba ſola lenien-

nientia non ſtetit conſolatio, ſed reflectens ad culcitram, ſuper qua jacebat, eſſe duram & male ſartam: mota ſunt viſcera ejus ad compatiendum miſello iſti doloribus afflicto; & meditabundus, quomodo poſſet ejus incommodo ſubvenire, ſtatim ivit quæſitum ſuam propriam, & nulli dicto vel verbo, occulte illi illam ipſam detulit, & aptè ſuppoſuit decumbenti, proponens ſibi per noctem dormire in aſſeribus nudis: ea propter adjuraverat ægrum, & extorſerat promiſſum, quod nemini mortalium revelaret. Sed *quis celaverit ignem, lùmine qui ſemper proditur ipſe ſuo.* Non potuit bonus homo à ſe obtinere, quamcumque vim ſibi inferret, ut quod pollicitus fuerat, reticeret. Clam in aurem inſuſurravit cuidam fratri Coadjutori ſecretum; qui deinde abiens ad conclave Patris, eum ex improviſo deprehendit decumbentem in tabulis ligneis ſolum ſtragulis deſuper coopertum, & illi de alia culcitra proſpexit.

Erga infirmos etiam ſæculares, multoque magis noſtros, charitas ejus erat in-

invicta, & insuperabilis. In eodem Collegio Mediolanensi diu periclitatus fuerat ex gravi morbo frater Thomas Thomatis juvenis non vulgaris probitatis, qui citra mortem malum illud tædiosum, magna cum patientia & alacritate jam diu tolerabat. Pater qui tum in illo Collegio repetebat Theologiam, non solum ægrotantem assidue invisebat, & consolabatur in sua afflictione; sed serviebat promptitudine indefessa, etiam nutus ejus præveniens, & faciens circa illum omnia perinde ac si fuisset Infirmarius, usque ad officia vilissima & sordidissima se abiiciens, quæ nauseam parere potuissent: adeo ut infirmus ipse stupefactus de tanta charitate, cum non posset ei persuadere, ut abstineret ab ista longa, & indebita servitute; quo signo aliquo prodeberet sensum qui se invaserat, quod videret virum talem se ita dimittere ad serviendum, qui dignus erat cui potius serviretur; nec posset ut desiderabat pedes ejus osculari: adegit illum cum quadam specie protestationis, ut porrigeret sibi unam è crepidis suis,

quam arcte pectori appressit, & basiatus est. Ad quem actum plane inexpectatum Pater verecundia suffusus mire erubuit; quamvis omnes infirmi potuisent merito in similes demonstrationes admirationis & reverentiæ prorumpere, spectata ejus charitate, quæ se erga omnes ita extendebat, non visitationibus in superficie blandis, non ad distinendum illos inutilibus confabulationibus: sed semper ex corde & cum emolumento: scribendo pro illis aliquid, prælegendo illis librum quemdam spiritualem, & qua posset sapidè consolando: sicut fecit Taurini, ubi inter studia concionum, & multa alia impedimenta charitatis, quæ toto die occurrebant in beneficium proximi; non patiebatur se ita intricari, quin quotidie ad minimum sibi seponeret horam unam liberam, quam impenderet juvando & consolando fratrem quemdam Coadjutorem, qui jacebat ex morbo lecto affixus, toto prope eo tempore quo Pater isthic mansit. Pauperibus adhæc sæcularibus & ægris expandebat brachia suæ dilectionis, &

ministrabat eis libenter; & sæpenumerò in Nosocomiis, Triremibus, & carceribus, non solum tempore tyrocinii sui; conformiter ad experimentum quod de suis alumnis sumere solet Societas, per ejusmodi exercitia charitatis, humilitatis, & abnegationis sui, ac victoriæ reportandæ à seipsis. At at ille & tum, & deinceps perpetuò, etiam exhaustus laboribus, & celeberrimus orator verbi divini reipsa dicendo distentus, à charitatis impulsu ferebatur ut ministerium verbi Dei condiret exemplis ministerii erga pauperes, & infirmos. Ita Cremonæ dicens per quadragesimale jejunium omnibus diebus Sabbathinis, in respirationem & quietem concessis Concionatoribus, moris illi erat se conferre ad Nosocomium: & hoc erat illi pro diverticulo & recreatione, quod possset refocillare pauperculos illos & misellos; exercens cum illis eam virtutem, quam in decursu septimanæ alios docebat. Actio merito observata, cum insigni ædificatione, à prudentibus & honoratis, quæ diu postea illorum memoriæ

moriæ inhæſit. Haud aliter ſe geſſit Mediolani, Taurini, & alibi, dum prædicaret. Offerebat ſe illico ad ſerviendum in Hoſpitalibus, ad confeſſiones excipiendas in ergaſtulis & carceribus; quo pergens aliquando in hunc finem cum uno Patre, cui Parmæ ea cura commiſſa erat, obviam habuit Sereniſſimam Duciſſam Matrem: quæ voluit ſcire quis eſſet? & quo iret? Quod cum percepiſſet, hæſit perquam attonita, & admiratione defixa. Itaque ubicumque degeret excitabat & fovebat ſpiritum talium operum vere Sanctorum, non ſolum in Noſtris, verum etiam in ſæcularibus, quin imo in perſonis auctoritate præſtantibus, quæ permotæ ejus exemplo, etiam ipſæ, omni ſtudio & affectu ſe impendebant Non latuit hoc cives Taurinenſes, qui viderunt eum non ſolum ſine mora euntem ad Hoſpitale, conferre eleemoſynas quibus infirmos reficeret, confeſſiones audire & miniſtrare ſingulari cum amore: ſed etiam provocantem viros principes, & Matronas nobiles, ad amplectenda hæc exercitia pietatis, & liberali-

ralitatem suam convertendam in recreationem illorum ærumnosorum, quibus ministrabant in persona. Verum enim vero ut erat *dux facti:* ita plus eminebat in vincenda generose naturâ, ad obiecta prorsus intolerabilia, maximè personæ nobiliter & delicatè educatæ: in tali enim occasione Heroem se probavit uno mane, in vigilia Nativitatis Domini, dum serviret in magno hospitali, quod celeberrimum est Mediolani. Hic posuit se circa senem ægrum, totum squallidum, immundum, & obsitum sordibus male olentibus; & postquam lectum ejus composuisset, assumpsit illum intra brachia, & reposuit, & osculatus est, & blande tractavit ad spatium temporis satis largum, tanto cum gaudio, & voluptate cordis, ut facile fuerit videre, quem ipse in illo infirmo cognosceret, & amaret, & cui officia sua deferret. Addo quam fideliter in praxim deduceret propositum, quod fecerat, dum adhuc in habitu Sacerdotis sæcularis fecerat exercitia spiritualia S. P. Ignatii, in quibus meditans de puerulo Ie-

su

su poſito in præſepio, inflammari ſe ſenſit, & ſcripſit: *In præſapi volo ſervire Chriſto, componens fœnum lectuli ſui: & hoc exequar miniſtrando in hoſpitalibus infirmis, magna cum charitate, & humilitate.* Tantum etenim ſe probavit occupando ſe circa illum infirmum, ut aliqui Iuvenes è noſtris, qui erant illi ſocii in illa functione, ad ſolum hoc ſpectaculum ſenſerint ſe accendi, ut pari cum lætitia & ſenſu pietatis munus illud charitatis obirent.

Cui porro non poterat ſervire in perſona, eo quod vel ipſemet male valeret, vel abſens eſſet; quacumque alia ratione conabatur prodeſſe. Inter ſua bona propoſita adnotaverat hanc pulchram reflexionem charitatis. *Semper ſatagere eorum, in quorum abſentia contra illos ſermones miſcentur.* Eadem cautela charitatis erga abſentes proſpiciebat illorum neceſſitatibus, & licet non eſſet rogatus, opem illis præſtabat. Perceperat quemdam Patrem ob calores quibus immodice æſtuabat ſentire ſibi certis temporibus profutura quædam refrigerantia; & cum judicaret ſanita-

 tem

tem illius Patris utiliter impendendam ad gloriam Dei, prompte ea ipsi procuravit: nec enim solum illa vice, sed deinde quovis anno, stato tempore, memoriam ejus servans, etiam non sollicitatus evocabat Mediolano provisionem sufficientem, quam Genua submittebat. Inculcabat insuper cum terminis dulcissimæ charitatis, ut eo remedio non parcè uteretur, scribens illi, & petens, ut se certiorem faceret, si quando posset in aliquo illi gratificari, vel prodesse; paratum se fore, idque cordate. In unis istarum litterarum ait: *Si ad confirmandam ejus valetudinem posit aliquid conferre, securum se eum reddere se facturum; quod si formidaret hoc sibi omnimoda libertate aperire, se graviter offensum iri, quod Amicus alteri vero Amico nequeat se, quod toto affectu cuperet, tribuere. Ita se affectum, ut si posset vel sanguine suo sanitati ejus consulere eum non gravate propinaret.* Nec hic erat affectus peculiaris ex humana considcratione ortus, qualem quandoque experimur ratione patriæ, consanguinitatis, necessitudinis, aut sympathiæ natu-

naturalis, ſed ex vera charitate divina originem ducebat; nec conſiſtebat in verbis, & ceremoniis, ſed opere & veritate ſe prodebat, exercita erga omne genus ærumnoſorum. Atque hinc hanc ipſam charitatem hujuſmodi refrigerationum, adhibebat etiam jam tum in Novitiatu Mediolanenſi, ad juvenum illorum recenter Deo conſecratorum conſervandam ſanitatem.

Multo libentius id poſtea faciebat, quando poterat ſe fraudare; uti fecit ſemel dum deberet iter facere. Datum illi erat munus ſaccari confecti: quid ille? è veſtigio detulit dulciaria illa ad Superiorem, petiitque licentiam ut vendere poſſet, & pretium diſtribuere pauperibus in eleemoſynam. Quod & factum. Contigit quod comperiſſet Mediolani carceri mancipatis apparari tenue prandium à Noſtris in Collegio, ut vel ſic illa eſca allicerentur ad devotionem. Dum ea cura diſtraherentur, intelligens quod ſolo pane, & juſculo eſſent reficiendi: Charitas zelum Patris acuit, & dixit fratri cui erat commiſſio data iſtius refectionis curandæ,

 de-

debere pauperculis illis etiam vinum dari. Excusavit se ille ob defectum pecuniæ: verum Pater Antonius Iulius non acquievit; sed omnino voluit ut suo nomine iret ad Superiorem, & pro misellis illis peteret merum fundi. Annuit Superior fidens charitati industriæ Patris, cujus vidit bene cito effectum. Quippe vix erat provisio delata ad carcerem, & ecce supervenit mandatum à persona pia cum sufficientibus nummis, ad emendum vinum, carnem, & quidquid esset obsonii congruum ad honestam refectionem in vinculis detentorum. Alia vice cognovit illos carceres scatere innumeris captivis: cum enim ea tempestate Ducatus Mediolanensis arderet Bello, omnes Franci, qui in prælio manus hostiles evadere non potuerant, erant in illos compacti; & propter copiosam multitudinem multifariam patiebantur; in tantum, ut tabefierent sub illo modico stramine, quod illis subministratum erat ad dormiendum; essentque in summa penuria omnium quæ vitam sustentant. Tacta sunt commisera-

ſeratione viſcera Patris ad hoc nuntium, & ſchedula miſſa tantopere excitavit charitatem Domini Emmanuelis Brignole, qui opportune tum erat Mediolani:ut ſine ulla cunctatione ille cum nummis & hominibus ſubſidiariis & fratre Societatis, qui ei id denuntiaverat magnaque cum humilitate & affectu applicabat ſe tali operi; contulerit ſe ad carcerem, curaverit mundari & expurgari ergaſtula, proſpexerit de novis paleis, ſuccurrerit ſquallidis, varia ſtipe, & duobus graviſſime laborantibus proſpexerit de Sacerdote, qui Sacramenta adminiſtraret morituris; nimirum in tempore, ſiquidem ſequenti nocte expirarunt. In hunc modum P. Antonius Iulius, qua per ſe, qua per alios ſemper fuit ſollicitus Procurator indigentium.

Quod ſi fortaſſe non nemini videatur, nimis minutas has eſſe probationes ſuæ hujus magnæ charitatis, & hinc conficiat deeſſe alias inſigniores: hunc velim apud animum ſuum reputare, quod ſit ſingularis effectus tenerrimæ charitatis, eſſe etiam ſollicitum

in rebus minimis, enimvero in illo laudem hoc meretur & obtinet maximæ. In his porro & aliis studiis charitatis, non volebat ab hominibus cognosci: sed si quis ei hæc accepta ferret, & gratias ageret, videbatur prodere quid indignationis; sibi autem applaudebat, si titulo compensationis, daretur occasio exercendi actum alicujus alterius virtutis. Cum Romæ versaretur, venit eò Mediolano P. Ioannes Maria Olgiati, qui non ita pridem Profectus est in Indiam Occidentalem. Tum juvenis adhuc sæcularis, qui studuerat in nostris Scholis Convictor Collegii Helvetici, quod est Mediolani, & ambiebat ingressum in Societatem. Etiamsi Patri Antonio Iulio esset prorsus ignotus, quia tamen ab uno Patre erat illi commendatus; amplexus est illum magna charitate, servivit illi cum omni sedulitate, insinuavit illum in gratiam variorum Patrum, deduxit eum ad Novitiatum, & mille benevolentiæ signa ostendit. Post tres annos, alibi in eum incidens, cum de beneficiis ab eo acceptis juvenis gratam apud suum patro-

tronum memoriam refricaret : habuit se quasi eorum ignarum, nec alicujus rei recordari : solumque expetiit, ut sui in precibus ne oblivisceretur. Atqui quantum ipse recusabat sibi gratias referri, tanto gratiorem se probabat erga alios pro minimo officio, quod illi præstabatur : testatus hoc est inter alios quidam Pater, qui Florentiæ ei dedeporat nescio quid ad usum itineris; postea, inquit, tanta grati animi significatione & verbis & per litteras, hoc beneficium prosequutus est, ut me rubore suffunderet.

Si verum hoc est, quod solet dici, amorem naturalem descendere ; non minus vi charitatis descendendo P. Antonius Iulius visus est rejuvenescere, & quasi sanctè repuerascere, aut, ut melius dicam, similis fieri Apostolo qui noverat *lac dare parvulis in Christo.* Anno 1658 fuit missus ad villam suburbanam Collegii Mediolanensis tempore vacationum Autumnalium ; tum ad levamen suum, tum ad solatium Nostrorum qui erant omnes satis juvenes, & biennium studiorum impleverant ; in

 quo

quo loco & tempore noverat illis mirifice se accommodare; atque una satisfacere suæ devotioni, multis horis vacando orationi, atque Sancto illo exercitio nemora illa & sylvas Deo consecrando, sicut superius narravimus; neque hoc oberat quo minus Charitati erga illos juvenes locum daret, & religiose ad hilaritatem suo statui consentaneam provocaret. Aliquos docebat Musicam, quam ipse probe callebat, & licet ea delectaretur, nunquam cæteroqui visus erat se cantu recreare. Ibi non solum contentus erat eos audire inter psallendum à concentu deviare, sed ipse quoque dulciter & patienter melos suum adiiciebat. Vesperi deinde intererat ipsorum confabulationibus, quæ solent ipsis indulgeri post cœnam, quibus pauci Patres ex antiquioribus se subinde socios jungere non dubitabant; eratque objectum non parvæ ædificationis cernere, quod homo quinquagenarius & cæteroqui totus serius, atque solitudinis amans, & in se collectus; in medium proferret nunc unum, nunc alterum curiositatis

jucun-

jucundæ argumentum, facetum & argutum, & ſumma cum facilitate ſubiret iſtam pœnitentiam, demittendo ſe ad iſtos lepores, & innocentes jocos, qui ex vitio illorum juvenum ab eo exigebantur; ipſo ſolo modeſte totam recreationem ad vitam & hilaritatem animante. Virtus parum grata iis, qui ponunt in eo omne momentum Religioſæ perfectionis, ſi habeant arcum ſemper tenſum; adeoque illi ideo poſtea fuit ſuſpecta, ut alibi dicetur. Sed in illo fuit tanto majori admiratione digna, quanto magis haberet animum aliis cogitationibus, & ſenſibus devotionis, quos totis diebus volvebat, oppido refertum. Quia diverſis ab hac horis, quando juventus illa aliis diverticulis ſe diſtrahebat; ordinarie ſe ſubducebat, vel ambulabat ſolus, ſecum habitans, internæ vocationi intentus, & aliquid pii meditans. Hinc conficio: quod ſi ejus converſatio eum ſucceſſum habuerit; quid dicendum de illa Religioſorum perfectorum, ſancta juxta & amœna, & nihilominus omnibus ſumme

me desiderata & accepta? Atqui quid mirum quod vir iste charitate æstuans se accommodaverit & contraxerit coram parvulis suis fratribus, ut sua dilectione, quæ non inflabatur, eos accenderet; si non fuerit dedignatus idem præstare cum scurrilibus pueris, triobolaribus & rusticis, fæce hominum? non solum, ut eos erudiret in rebus ad salutem animæ spectantibus, sicut supra dixisse me memini? Certe fuit observatum, quod aliquoties per urbem incedens occurreret alicui civis filio squallido in vultu, & qui secundum faciem præ se ferret morbum, eum aggressus fuerit gratiose, & magna cum affabilitate interrogaverit, quid mali haberet? exploraverit arteriam, tentaverit pulsum, suggesserit aliquod remedium opportunum, procuraverit quampiam eleemosynam, aut subsidium. Et in his *super omnia vultus accedebant boni.* Totum peragebat modis suavissimis, eaque benevolentiæ significatione, qualem propriis filiis exhibuisset.

CA-

CAPVT VIII.

Humilitas P. Antonii Iulii communiter ab eo usitata.

ET ecce sicut virtus præstantior est, cui manum adiutricem porrexit Dei gratia, ita charitas libenter Humilitatem habet sibi comitem & conjunctam. Nec immerito, quoniam videbatur permoveri ad similitudinem parvitatis, & vilitatis propriæ, quam ipse sibi animo non ficte impresserat; vere factus ex se ipso parvulus Evangelicus; de quo dixit cuidam bono Sacerdoti sæculari, cui erat perquam fidenter familiaris, cum ostenderet se mirari Patrem sibi signa honoris deferre, dareque manum dextram omni conditioni hominum, quantumvis vilium, quin imo pueris egestate pressis. E vestigio enim respondit: *Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cælorum.* Quodque ipse multum contrahi deberet, si id vellet intrare. Ita ipse apposite. Et vero humilitas fuit vir-

virtus ipsi tam propria, ut palmam obtineret super omnes ejus alias operationes, easque transcenderet; licet in illis quæ aliam virtutem concernerent, niteretur continuo ad distinctionem radium humilitatis intermiscere. Illâ universa sua opera & affectus, & habitus, corpus suum, & vultum imbuerat; in quibus omnibus spirabat semper modestissimum sui contemptum, & humillimum sensum; cum esset vir tantis & tam eximiis talentis ornatus, fortunæ, naturæ, & gratiæ, & prorsus admirabilis virtutis, spectatæ simul, & amatæ. Et revera erat ipse venustissimum lumen omnium, qui dotium numero cum illo in comparationem venire potuissent.

In sæculo cæperat, ut dictum, exercere se in ista virtute, sed mundo egrediens dedit singularia indicia, quod secum eam portasset omnino radicatam, quam huc usque in alieno solo aluisset; sed volebat transplantare in terram bonam, & optimam, ubi fructum centesimum proferret. Atque ita paulo antequam se Religioni traderet, cum adhuc

huc esset Sacerdos sæcularis, & vacaret exercitiis spiritualibus in Novitiatu Genuensi, præter multas humiliationes quas faciebat; uno mane induit vestem ex tela subrusa, quam subinde assumunt Novitii ex mortificatione, & Fratres Coadjutores in servilibus functionibus operum gravioris laboris; & cum illa posuit se pronum in terram in ingressu portæ, qua triclinium subitur, ad similitudinem cadaveris; unde factum, quod omnes accedentes ad mensam, per illum transirent, tamquam rem nihili, & dignam pedibus calcantium proteri. Cum omnes intrassent, & composuissent se ad accumbendum; erexit se in pedes ipse, & ingressus abiecit se in genua in medio cænaculi; dixit suam culpam, non minori sensu aliorum, quam suo, de suis multis & grandibus erratis in genere; & in particulari de libris à se compositis scatentibus vanitate noxia, & contraria modestiæ Christianæ; deque scandalo per ipsos orbi dato: & pro pœnitentia comedit in medio refectorii ad parvam mensam, præparatam ad assi-

aſſidendum noſtris Fratribus in pœnam, vel ex devotione; & inſtructam fruſtis panis obſoleti, ut inter nos moris. Non permiſit mutari quidquam, nec ut panis recens, & integer apponeretur, ſed illis paſtus eſt fragmentis, & ſolis eduliis communibus ſe refecit. Cui ſcenæ humilitatis licet voluerit intereſſe omnes noſtros Religioſos Novitiatus, & inſuper ſuum generum D. Alexandrum Iuſtiniani; potuit tamen cenſeri actio privata intuitu ejus, quam in deteſtationem illorum leviculorum & nimis petulantium, ac effrenatorum ingenii partuum publice fecerat; de qua jam ante meminimus; & non deſtitit aliquanto poſt tempore deinde facere, concionando coram frequentiſſimo auditorio, & retractando ſuam illam libertatem ſæcularem; deprecando veniam de malo & pernicioſo exemplo à ſe dato, & damno ſpirituali lectoribus illato; obteſtando omnes, ut quotquot ex illis opuſculis quidquam penes ſe haberent, ea vel lacerarent, vel concremarent; ad quod obligabat quantum poterat cunctos in conſcientia; num-

numquam denique finem faciendo dolendi & damnandi, & accusandi seipsum eo ex capite, usque eò, ut in prima quadragesima, quam Religiosus dixit Genuæ, non veritus fuerit pronuntiare, quod satius comparere debuisset in theatro, quod nomen gerit Sancti Dominici, ad ejurandam suam nequitiam & perversitatem, quam stare in pulpito Ecclesiastico ad prædicandam Sanctitatem.

Porro ut revertamur ad ejus Novitiatum, in illo, utpote palestra & schola humilitatis, progressus est assiduè se perficiendo continuis exercitiis humiliationis; in quibus tantum profecit, ut teste suo Magistro Instructore omnium esset tyronum humillimus. Non ostendit umquam difficultatem in aliquo genere functionum servilium, & sordidarum; in verrendo, lavando, serviendo in culina, in mortificationibus publicis: etenim non contentus ire aliquoties mendicatum per civitatem, sicut alii, iis in vicis quò ordinarie mittuntur: importune institit ut liceret sibi ire cum mantica in humeris

petendæ ſtipis gratia ad publicam porticum Albari, locum in quem magna pars Nobilitatis Genuenſis convenire ſolet ad converſationem; ſicut etiam ad genio indulgendum poſt prandium ſumptum, concedit in villas circumjacentes, quarum deliciis pro more habet, per æſtatem, interpolare, & lenire civilium negotiorum moleſtias & labores. Eò etiam non erubuit pergere, & invenit ibi non paucos è ſuis propinquis & amicis, forte cum majori illorum mortificatione quam ſua. Non quæſivit umquam intuitu ſuæ ætatis eximi à rebus certis, quæ Novitiis juvenibus communes ſunt. Ibat cum illis in proceſſione ad civitatem, & quando habebatur concio in noſtra Eccleſia, & illi ſedebant demiſsè in gradibus Altaris majoris; jungebat ſe in eorum ſerie, & ſedebat infimus, homo id ætatis, & ſæpe ſæpius viſus in civili gubernatione ſpectabilis, & è ſacro ſuggeſtu avidiſſime auditus. Inſignis æmulator S. P. Ignatii, cujus Sanctitatem cepit Deus manifeſtare Barcinone, quando in concione inter pueros ſedebat

bat in infimo gradu Altaris. Si in P. Antonio Iulio non apparuerint radii visibiles caput coronantes: nihilominus ſedens inter illos juvenes Novitios Novitius, tam maturus, ſpirabat ex humillimo vultu aſpectum tam devotum, & bene obſervatum, ac in admirationem rapientem unumquemque, qui eum noverat; ut omnium oculi eſſent in eum conjecti, tamquam in obiectum miraculi ſingularis. Iam dubium oritur, & quæri poteſt utrum humilitas major ſit quæ publico expoſita eſt an exercita in occulto? Utcumque hoc ſe habeat: certum eſt humilitatem, qua P. Antonius Iulius pollebat, in utramque partem ſe probaſſe. Videns Magiſter ejus tam expeditum ad omnia officia humilitatis, ſtatuit eum tentare repulsâ, & humiliare, vituperando & reprobando ejus humiliationes. Præcepit quidem ut ſerviret coquo, conſuetum Novitiis humilitatis experimentum: ſed unà coquo dat in mandatis, ut de illo tam provecto tyrone, periculum faciat humilitatis non uſitatum. Vadit ergo Pater ad mini-

sterium sibi impositum, & offert se Fratri ad obsequium: Hîc ille ad primum conspectum finxit se mirari, & recusavit illum admittere; dicens, se stupere nec capere posse, quod Superiores, à quibus expectaverat juvenem habilem, fortem & expeditum ad juvandum, mittant sibi senem inutilem; qui nesciat quid faciat, nec sibi in re quapiam usui esse possit. Nequaquam se turbavit Pater ad casum hunc inopinatum, tantummodo studuit eum placare inquiens: operam se daturum, ut idoneum se præstet, ad omne id, quod volet imperare. Verumtamen alter tanto magis præ se tulit ægro se animo ferre, mitti ad se senem morosum & molestum, magis factum ad labores suos impediendos, & intricandos, quam sublevandos. Scena erat bene apparata, & actores exquisite partes suas agebant. Unus in petendo ut admitteretur ad probationem, alter in reiiciendo, & in exhibendo tantum non Herculem furentem, aut implacabilem Iovem. Durum Patri merito videbatur, non tam quod inutilis haberetur ab

eo,

eo, qui ſe Confeſſario utebatur; at quod minimum non experiretur, quid & quantum ſubſidii & opis adferre poſſet? Dirempta tandem lis, tantùm dixit, tantùm ſollicitavit, tot precibus ſupplicavit, ut Frater oſtenderit ſe cedere, qua ſupplicationibus, qua neceſſitati obediendi: & impoſuit illi neſcio quam rem futilem faciendam; ad quam Pater impigrè ſe tanto niſu applicavit, quanto umquam in functione Magiſtratus ſe commendaverat, ut aptiorem ſe modo probaret ad ſerviendum, quam tum ad imperandum. Deſideravit deinde ſcire Pater ille Magiſter Novitiorum, quem motum feciſſet in animo P. Antonii Iulii inexpectata illa acceptio; & deprehendit non alium fuiſſe in eo ſenſum moleſtiæ, niſi quod verè ſibi perſuaſerit multum ſibi deeſſe, quo par eſſet ad opitulandum Coquo. Atqui deſiderio ardens proficiendi rogavit obnixe, ut in iſta probatione ſibi liceret aliquanto adhuc tempore perſeverare. In quo cum exauditus eſſet, itabat quotidie ad culinam; eam ingreſſus illico proſternebat

 ſe

se in genua ante imaginem Beatæ Virginis Deiparæ, ac recitabat Salutationem Angelicam, offerens illi suum illud opus quod ibi auspicaturus erat, & petens gratiam perfecte id implendi. Ac dein surgens quærebat à Coquo in quo operam suam collocari vellet? Qui secundum instructionem datam à Superiore, jubebat laboriosum quid aggredi, cui è vestigio se impendebat; vix orso præcipiebat ut desisteret; & Pater ipso facto desistebat: mandabat ut aliquid nullius momenti sibi sumeret perficiendum, & Pater se totum illi applicabat. Dictum illi fuit, ut festucam jacentem in medio culinæ tolleret; confestim se demisit in genua, ut eam elevaret. Aliquando asperè & ruditer in suo opere reprehendebat, ut strenue mortificaret, exprobrans illi quod esset homo nihili; & quod eum ejecturus esset è culina tanquam fungum: & Pater pro ut frater ille narravit, cum rubore in facie, & capite demisso, sine ulla commotione, aut signo perturbationis, sicut homo *non audiens & non habens in ore suo redargutio-*

tionem, proſequebatur cum omni accuratione imperata: & quando frater abſolverat ſua improperia, ante illum poplites flectebat, ut ſibi condonari flagitaret, ſemper retinens vultum tam compoſitum, & ſerenum, ut proderet humillimam devotionem, qua in talibus circumſtantiis operi incumbebat. Oportebat eum bene profeciſſe, quando nolebat æſtimari actiones virtutum, nedum in ſplendore dignitatum, & in frequentia theatrorum, in quibus fuerat ſpectabilis; ſed etiam abditius in angulo neglecto, expoſitus oculis ſolius Dei, contentus eſſe ſpectaculum illis, placere divinæ ſuæ Majeſtati, qui pretium virtutis tam præclaræ cerneret, & ponderaret, in eo qui fuerat non ita pridem pro Senatore honoratus, & in aulis Monarcharum pro prudentiſſimo Oratore in veneratione habitus: hunc inquam eo deveniſſe ut revereretur correptiones unius Coci, crederet ſe ineptum ad ei ſerviendum, vim ſibi inferret ad ſe habilitandum, quo vel mediocrem ſucceſſum in eo miniſterio tam abiecto aſſequeretur: numquid profe-

cto humilitas fuit ſtupenda? non ſolum id facere intra ſe, & recipere ab aliis omne genus humiliationis; ſed inſuper eo attigiſſe, ut haberet de ſe opinionem & judicium vilitatis, & deſpicientiæ, adeoque reputaret ſe non ſolum pro peccatore, & damnaret ob vitam, quam ajebat ſe in ſæculo perverſam duxiſſe, reprehenderetque multum præterea defectus, in quos inadvertenter incurrebat in Religione, quamvis leviſſimos: ſed quod magis ponderandum eſt propter raritatem, ſibi certo perſuaderet, ſe eſſe parvi judicii hominem, æque inter concionandum (ut poſtea meminero referre) quam in omni alia operatione, in quibus profitebatur ſibi deeſse prudentiam & moderationem? Hanc temeritatem declarabat multoties modo dicendi plane familiari, ſine affectatione, & ſimili dicenti verum; etiam dum Sacerdotem ſæcularem ageret. Quibus ſi addidero actiones ab eo editas illo tempore contemptus ſui & mundi; ſapientiæ humanæ videbuntur exorbitantiæ & ſtultitiæ; illis tamen aſsequutus eſt, quod cu-

cupiebat, quia ad eum altiſſimæ ſapientiæ Chriſtianæ gradum pertigit, quem Regulæ Societatis præſcribunt: videlicet ut velit haberi pro homine judicii indigo, & æſtimari fatuus à nonnullis, qui intime non penetrant ejus medullam, in verbis & actionibus ſiſtentes. Certe uni è Societate evenit, qui cum alterius Ordinis Religioſo erat in itinere, ut inter confabulandum mentio incideret de P. Antonio Iulio. Hic de eo loquebatur tam abjecte, ut oſtenderet ſe eum arbitrari hominem exigui cerebri, & adderet erroneo conceptu falſiorem probationem, aſserens: Patrem olim petiiſse admitti in ſuum Ordinem, ſed quod ſui Patres judicantes eum volatilis & inſtabilis mentis, remiſiſsent candidatum ad illos, qui eum procarentur. Haud tamen dubium quin mundo patefecerit, neminem eſse profundioris ſapientiæ, quam illi qui dicunt *nos ſtulti propter Chriſtum.* Ex hac impreſſione quam alte imbiberat ſe eſse vitioſum, & indigere alterius directione, conſilio, & correctione, oriebatur in eo

sincerissimum desiderium & cupiditas, ut à quolibet admoneretur, & instrueretur. Quam hoc manifestum sit, conficere facile est ex eo, quod cum in Collegio Mediolanensi, syllabum suorum defectuum, quos notaverat, tradidisset, ut de iis publice in Refectorio corriperetur, pro introductione præfixerit hæc verba: *Cum non sint defectus infrascripti, nisi minima & levißima pars meorum erratorum, propterea quod cæcitas amoris proprii, qua laboro, passa non est me plura cognoscere, obtestor per viscera misericordiæ Domini Dei nostri, quemlibet ex Patribus, & quemlibet ex Fratribus, ut vel publice vel privatim mihi (prout satius judicaverint) indicent omnes alios meos defectus, quos habeo; aut cognitos per se, aut intellectos ab aliis; etenim non sumam hoc in malam partem, sed summi beneficii loco habebo. Conscientiam uniuscujusque compello, quà possum, ad hoc officium mihi præstandum; ut inde pateat sincerus ardor meæ voluntatis.* Neque dumtaxat in ista publica protestatione ab omnibus, sed à quocumque poterat, accipiebat grato animo charitatem ea-

earum admonitionum, & pro viribus urgebat, ut ſibi impenderentur. Patri cuidam ſibi amico ſcripſit in hæc verba. *Suæ charitati det impetum, ut mihi ſuggerat, quando ad me ſcribit, aliquod lumen ſalutare in ordine ad meam emendationem, & profectum in Spiritu: quia quantumvis in libris multa inveniam, non crederes quanto majorem efficaciam habeant in me, tractus manus, quos exarat amicus verus, vivus, & domeſticus.* Quia tamen ſunt aliqui qui petunt errorum ſuorum commonefieri, & dicunt hoc ſibi placiturum: at quando monentur, ſentiunt & perturbantur. Indicio manifeſto quod iſta petitio ſit velamentum tacitum vanę ſpei, quod inde magis ſint laudandi, quam arguendi: aut oriatur ex quodam deſiderio corrigendi ſuas labes languidè, & ad ſpeciem tantum. Nemo opinetur hac fuligine aſperſum fuiſſe P. Antonium Iulium, ejus poſtulationes fuerunt ſinceræ, deliberatæ, & fundatæ in credulitate, habere ſe defectus multos occultos. Quod videre erat dum reprehenderetur, de culpis quibuſdam etiam inadver-

vertenter commissis; ex gaudio quo perfundebatur, & professione singularis erga monentem obligationis. Cum scriptum illi esset ab amico nescio quo, respondit, ut sequitur; *O quam mihi cara fuit Epistola R.V. Visa fuit stillare nectar & ambrosiam ut poetice loquar: quia inde conficio, quam cordato affectu erga me utatur: siquidem quod nomine libertatis, sed revera sincerissima Amicitiæ fiducia me moneat, quam gratum mihi fuerit, difficile est exprimere. Attulit mihi sane lumen tam efficax, tam clarum, tam suave, ut multæ perturbationes, quarum agitatione imperfectum meum & pusillum, licet nullius ponderis essent, ita in animo meo fuit quassatum, & in diversa distractum, ut ad tranquillitatem redire nequiverit. Loquar candide: verba tua mihi sapuerunt, & fuerunt signum liquidissimæ charitatis.* Magis liquide hoc admonitionis sibi faciendæ desiderium exposuit ex occasione, quod discedenti Mediolano, nonnemo eum certiorem fecerat, observari in illo, nescio quem vel gestum vel actum in sacro dicendo minus decorum, ortum fortasse ex devotio-

ne

ne plus animosa, quam bene ordinata: verum cum esset hoc dictum in genere, & quasi per transennam, Pater quidam quicum illi magna intercedebat consuetudo, censuit disertius hoc illi explanandum, maxime quando illi celebrandum esset foris extra Ecclesiam nostram, quo, ad concionandum, erat illi eundum. Per epistolam ergo illum monere non est veritus; cui P. Antonius Iulius rescripsit. *Etsi Epistola R. V. sit responsoria ad meas, nihilominus quia continet gemmam pro me tam pretiosam, adactum me video ut cordatissimas gratias agam. P. Rector insinuavit mihi quid simile, sed obscurè, & per modum figuratæ loquutionis; habuerit sine dubio debitam opinionem exiguæ meæ virtutis, & fortasse timuit, ne sensum incuteret; ideoque servivit mihi patinis, ut vulgo dicitur coopertis. Sed R. V. Pater mi amantissime noverat non esse ita; adeoque si ad quoslibet defectus quos in me animadverterit, me corripuerit; profitebor me obstrictissimum, nec ullum amicum habere in mundo fideliorem R. V. quacumque demum via, sibi innotuerit quidpiam, quod judicet posse conducere*

ducere ad utilitatem spiritualem misellæ animæ meæ, utcumque acerbum accidere possit sensualitati meæ, quæso te, ne me celaveris. Tantopere desiderium cognoscendi suas imperfectiones, eum stimulabat.

Cæterum quando vel alterius reprehensione, vel propria reflexione, recordabatur, aut etiam sibi videbatur se deliquisse, nunquam fuit auditus nævos suos velare, aut prætexere *excusationes in peccatis*, quod tamen omnibus naturale est: sed contra illud vitium erat optime præmunitus, valido proposito notato inter primæ notæ, quæ cordi sumpserat; hisce verbis. *Numquam me excusare, & illud notare, & ex amore* IESU *mei observare.* Unde monstrabat summam tristitiam de quolibet defectu, in quem lapsus fuisset, & profunde se ad illum humiliabat. Accidit dum exerceretur in Novitiatu, discurrisse illum paulo vehementius in communi cum aliis colloquio, quod recreationis vocant; post paucas horas P. Rector casu illi occurrens, ei dixit: P. Antoni Iuli, habes sonoram vocem.

Su-

Subodoratus eſt ſtatim quo illud monitum ſpectaret, & provolutus in genua dixit: Pater, ſum, fateor, inconcinnus & abſurdus. Reſponſum profecto egregiæ humilitatis & per ſe, & ob perſonæ conditionem, & ob caſum inopinatum. Videbitur nihilominus fortaſse res parvi momenti, eo quod inter Religioſos hoc ſit familiare, præſertim in Novitiatu. Igitur majoris erunt ponderis, alia indicia humilitatis, in quibus ſemper magis ac magis proficiebat. Fuit quando diceret, ſe non potuiſse frui recreatione in Villa, ob pœnitudinem verbi, quod imprudenter ſibi exciderat; & arbitrabatur ejuſmodi, ut poſset alteri umbram diſplicentiæ adferre. Cum per inadvertentiam aliquantum aduſſiſset linteum quodpiam in Collegio Mediolanenſi: detulit ad Fratrem qui lineæ ſupellectilis curam habebat, & ante illum proſtratus in genua, culpam ſuam agnovit, & poſtulavit ut ſe fuſtigaret, dicebat enim ſe verbera mereri.

Romæ abſolutis Quadrageſimæ concionibus abiecit ſe ad pedes Fratris, qui

fue-

fuerat eum comitatus; precatus est veniam malæ suæ ædificationis, quam aiebat multitudine defectuum se illi dedisse; nec voluit se erigere, antequam Frater diceret se illi ignoscere. Genuæ cum ex domo Professa festo B. Aloysii Gonzagæ ivisset ad Collegium, fuit usque ad occasum solis detentus ab illis Patribus, qui ejus religiosa conversatione rapiebantur. Dumque illi eum deducerent abeuntem usque ad portam Collegii, invenit ibi Coadjutorem sibi socium, qui vel ex tædio, quod tam diu eum præstolari debuisset, vel ob festinum opus, quod domi faciendum habebat sivit, se impatientia abripi, ex sensu tam longæ expectationis, verbis satis acerbis & mordacibus compellans eum indiscretum. Quid ad hæc Pater? Ne minimum quidem se turbavit hæc audiens in præsentia aliorum obiici à sibi inferiore; sed agnoscens se culpabilem, Frater, inquit, da mihi hanc gratiam ut condones mihi hanc indiscretionem: neque hæc fatus est ut carperet ironica confessione erroris exprobrati: sed demonstratione

seriæ

ſeriæ conſuetudinis, & benevolæ humilitatis, impigrè exercens documentum illud Sapientis: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Non ſolum Deo reddidit ſe amabilem P. Antonius ſe humiliando, ſed etiam hominibus, coram quibus quanto plus ſe dimittebat, tanto pluris eum æſtimabant, & cum admiratione virtutes ejus deprædicabant: quemadmodum contigit in uno Fratre Domus Profeſsæ Mediolanenſis, dum Pater iſthic concionibus eſſet occupatus. Viſebat infirmum & animadvertit in quodam genere edulii non optime illi proviſum; ſecundum neceſſitatem, & morem charitatis Religioſæ: ut erat teneri affectus erga morbis afflictos, non potuit ſe cohibere, quin in egreſsu cubiculi obvius advenienti Infirmario diceret precatoriis verbis; ſtudere niteretur obire ſuum officium ea diligentia, quam requireret charitas, & meritum quod apud Deum aſsequi poſset. Hæc amica denuntiatio, per id tempus cecidit in terram non multum comparatam ut facere-

ret fructum. Unde Patri ita respondit, ut ostenderet sibi parum gratam hanc suam sollicitudinem, & ingressus cubiculum ægroti, erupit in quandam excandescentiam dicens: non incumbere Patri eum admonere. Parum illum scire quantum habeat operæ unus Infirmarius. Eum assuetum fuisse in sæculo pro sua commoditate serviri; & cum vix venisset ad religionem adhuc tyro, Zelum sibi sumere ad stimulandum eos ad opus, qui tota vita laborassent. Interea Pater contulerat se ad cubiculum suum, quod contiguum erat ipsi infirmi valetudinario, adeo ut ex uno in aliud esset transitus per simplex ostium, quod tum erat occlusum; proinde illa & alia, quæ à Fratre illo sonora satis voce erant prolata, perceptu facilia erant Patri, & potuissent alteri parere indignationem: verum ille ita fuit compunctus, ut in se redeunti visum fuerit, Fratrem querendi justam habere rationem, seque male fecisse eum conturbando. Egressus ergo cubiculo præstolatus est in ambulacro, foras ab ægro prodeuntem, quem

quem ubi præſto habuit in loco illo propatulo, flexis genibus rogavit, condonari ſibi culpam, quod moleſtus ei fuiſset: & addidit merito illum dixiſse ſe ſenem inutilem veniſſe ad religionem: id enim eſſe veriſſimum, uti & carere diſcretione, & compaſſione erga alios: imperitum quoque ſe loqui ut oportet. Oraret Deum pro ſe. Frater erubuit ad illum actum, nec habuit quod reſponderet, ſed juſſit ſurgere & abire, ſcitè eruditus tam ſingulari & ſalutari documento. Concionatoris partes agens in domo Profeſſa Mediolanenſi, ordinarie dicebat ſacrum non pro commodo ſuo, ſed templi; & ad beneplacitum Æditui. Quodam mane, quo pro invaletudine debebat ſumere neſcio quam medicinam, petiit celebrare aliquanto citius; Sacriſta autem voluit diceret ſerius, quod fortaſſe ita ordinem aliarum miſſarum difficulter poſſet immutare: Pater cum omni modeſtia ei dixit: quæſo te compatere magis miſello Concionatori; atque hoc dicto abiit: ſed paulo poſt reflectens ad illam exilem ſpeciem impatientiæ, &

existimans se verbis illis deliquisse; quasi saperent vel jactantiam, vel iram; rediit in Sacristiam & genuflexus ante Sacristanum, petiit veniam de renitentia in obediendo, precatusque est sui nullam haberet rationem, nec plus sibi deferret quam bestiæ, qualem ajebat se esse. Quin imo non voluit se levare prius, quam Sacristanus ostenderet sibi factum satis. Preclara sunt hæc humiliationis specimina; sed magis mirandum, & fortasse non imitabile, quod eo narratum; & exhibuit personæ prorsus abiectæ. Veniebat Pater Româ ut iret Senam ad concionandum per æstatem, & ob virium debilitatem ab obedientia jussus erat deferri lectica. Mulio partim ob malignitatem viæ, partim ob incultos mores, quibus id genus rude hominum assuevit, ad singula momenta excandescebat, & emovebat iram, nunc Deum blasphemans, nunc Patrem diris devovens; quem, ut dicebat, experiretur suorum incommodorum parcum æstimatorem; utpote cujus causâ tantum laboris & molestiarum exhauriret. Ali-
quanto

quanto temporis ſpatio id tulerat Pater, & nequidquam corripuerat: cum tandem ex aliquo ardore dixit. Quæ hæc impudentia? ſi alio modo me geſtare renuas in aliam lecticam me recipiam, nec deinceps opera tua utar. Hæc dixerat, nec amplius: at vix verba hæc ſiverat elabi ex ore, manſuetus ille David percuſſit pectus ſuum: ob tam levem acrimoniam, uſitatam non contra regium paludamentum, ſed contra petulantiam tam ſordidi, & contemptibilis hominis, ſtatuit ſe caſtigare; paulo poſtquam diverſorium ſubiverant, vadit eum quæſitum, invenit garrientem inter ſuæ ſortis ſcurras, abiicit ſe ad ejus pedes, vult eos oſculari, petit ſibi ignoſci, quod importune, inquiebat, eum arguiſſet, quando compati debuiſſet. Quo ſtupore illius gentis inconditæ, facinus hoc inſolitum acceptum fuerit, non attinet dicere. Mulio mutatus in alium virum poſtea ſe emendavit, paruit ad omnia, quæ Pater voluit, & eum in omni veneratione habuit: cumque Senam adveniſſet, acceſſit ad Collegium,

& quæsivit, quis esset iste Pater Sanctus? atque ibi, nec non reversus Romam, retulit Nostris memorabile illud exemplum humilitatis.

Non minor fortasse fuit modestia, qua tulit aliam mortificationem tanto majorem, quanto digniores erant personæ, in quarum præsentia eam passus est. Cum deberet approbari ad audiendas Confessiones, Examinatores tractarunt eum rigidius, quam mens Prælati ferebat. Pater moleste non tulit; sed aliis dolentibus & compatientibus respondit: illos laudabiliter functos officio, sibique gratiam fecisse, usosque erga se urbanitate; interrogasse enim ad minimum decem casus diversos, se autem facile in quinque errasse. Proinde in rigore non debuisse illum censeri dignum, qui confessionibus audiendis adhiberetur; ad quas tamen admiserant se cum plena approbatione. Præterea cum in examine quæstiones proposuissent Latine, & ipse per inadvertentiam respondendo in vulgari lingua eos aliquantum offendisset. Dixerunt: responde *Latine*.

Sta-

Statim paruit, & quod vernaculo ſermone uſus fuiſſet excuſavit, cauſatus non in advertentiam, ſed quod ſenex ingreſſus Religionem non multum latinitatis ſibi comparare potuiſſet; licet reapſe, excuſationem everterit: perrexit enim expedite Latine reſpondere, etiam cum elegantia. Ita gaudebat haberi ignorans, coercendo illum à ſe tam formidatum appetitum oſtentandi ſe litteratum.

Dum eſſet Novitius, & legeret ad menſam, ſæpenumero de induſtria errores committebat. Diſſimulanter pronuntiabat ſyllabas natura ſua longas, ut breves; & contra: & quandoque legebat periodos tam indiſtincte, ut videretur non capere ſenſum. Adhæc in publicis concionibus crebro fatebatur tenuitatem, & lapſus memoriæ ſuæ parum habilis: idque modo dicendi tam ſincero, ut credibile videretur. Multo magis privatim id affectabat: agens enim cum externis ſæcularibus, nunquam dabat ſpecimen doctrinæ, ea ſe pollere, aut quandoque excelluiſſe, quaſi nunquam libros verſaſſet, aut

calamos tractasset. Amabat præ se ferre quamdam ignorantiam, ut videretur subdinde idiota, qui imperitus esset omnium, nec sciret aliquid vel litterarum, vel Mundi, vel perfectionis; imo quandoque ne quatuor quidem verba proferre: quod correxerunt in eo nonnulli Superiores, quando desiderabant, ut quidam viri nobiles ex ejus commercio evaderent Deo & virtuti addicti. Præcipiebant, ut ageret cum illis tam dextrè, quam posset; tum enimvero faciebat id tanta cum gratia, ut animos lucraretur cunctorum. Sicuti fecit nominatim cum Domino Marchione Paulo Torriano, qui fuit Heros magnarum partium, capacitatis, auctoritatis, & ingenii in fastigiis honorum sæcularium: sed multo magis spectatus ob generositatem, qua Deo donavit in Societate filium suum unicum, in quo familiæ spes desinebat. Eò privatus omnibus omne solatium suum collocavit in consuetudine & necessitudine contrahenda & conservanda cum nostris Religiosis, quorum commercio mirifice delectabatur.

Dess-

Desideravit is sibi copiam fieri colloquendi cum P. Antonio Iulio sibi de fama noto. Qui cum in primo congressu, cum assumpta illa siccitate illum accepisset, non respondit Marchionis expectationi: sed postea præventus Superioris præmonitione, conversatus est cum illo tam ingeniose, solerter, & sapidè, ut illum summe sibi, & Deo conciliaverit, cum notabili profectu in virtute, illius boni Domini, quîcum deinde magnum commercium, amicitiæ exercuit & præsens, & absens, ut videre fuit in amica mentione, quam Pater in variis suis litteris de illo facit. Eumdem successum habuit cum Excellentissimo Domino Marchione de Pianezza exploratore magnarum virtutum, non solum ob doctrinam, prudentiam, sagacitatem, & mentis præstantiam omnibus perspicuam, & in pretio habitam apud Duces Sabaudiæ; sed etiam ob exercitationem virtutum magis heroicarum in tali viro principe prorsus admirabilium. In hujus benevolentiam tentavit se insinuare P. Antonius Iulius, cum larva

hujus apparentis ſimplicitatis, quod humaniſſimum nobilem non terruit. Agente illo ſingulari cum humanitate & confidentia, Pater mutua officia reddidit, unde tam arctum amicitiæ vinculum ex ſpiritualium rerum reciproca inter illos diſſertatione, inter eos coaluit, ut Marchio illud perpetuum eſſe voluerit, & Pater viciſſim frequentiſſimis, & affectuoſiſſimis litteris ſemper aluerit.

Sed reſumamus ſenſa P. Antonii Iulii in materia humilitatis. Non erat illi ſatis reprehendi, quin imo ambiebat reprehendi de culpa, ubi culpa non erat. Proprietas, quam Divus Gregorius tribuit animabus ſelectis: Atqui ſupergrediens iſtos terminos, inveniebat quod reprehenderetur etiam in rebus, ex quibus laudem merebatur. Supra ſpectatum eſt, quanta humilitate ſimul ac charitate ſe accommodaret in vacationibus, ad religioſas recreationes Iuvenum Scholaſticorum condiendas, vitam illis addens ſuis facetiis & leporibus dignis admiratione, cum communi omnium ædificatione. Nihilominus

nus in actione tantæ virtutis, quam Græci ἐυτϱαπελίαν vocant, invenit quod displiceret, & in se reprehenderet. Nam in charta, quam postea dedit ut publice corriperetur, posuit hæc verba: *Dedi malum exemplum, & turpe scandalum modo meo agendi; maxime in recreationibus vacationum; in quibus sectatus sum vanam, insulsam, vilem, & indignam complacentiam in exhilaranda communitate, & monstrando me dextrum, & peritum in ea oblectanda. Sunt demissiones, quas commisi nimiæ levitatis, indecentes personæ provectæ, religiosæ, & Sacerdoti. Supplico omnibus qui interfuerunt ut condonent mihi defectum malæ ædificationis, & caveant sedulo me umquam imitari in malis exemplis quæ ex me scaturientia, toto animo aversor & detestor.* Quis non dixisset auditis his verbis, eum multum exorbitasse contra decorum religiosi status? & tamen secundum sententiam optimorum religiosorum, quotquot fuerant præsentes à modestia probati, erant actiones laude & commendatione dignissimæ; & quas appellabat levitates indecentes, poterant

rant aliquæ ex illis censeri, argutiæ ingenii, concionum simulachra, exercitia linguarum, & similes actiones alienissimæ ab omni indecentia, & prorsus licitæ ad finem moderatæ relaxationis, usitatæ à viris Sanctis; & in eo non condonandæ, ut ipse volebat, quasi mali exempli; sed admirationem meritæ instar actuum consultissimæ & decentissimæ charitatis. Dici tamen non potest, utrum illi non fuerit suspecta sua intentio, aut perinde ac Iob timuerit omnia opera sua, & voluerit uti suo timore, & eorum credulitate, qui non adfuerant, ut posset sibi acquirere notam imprudentiæ, & fructum humiliationis. Unde merebatur in illo particulariter id argui, cum vituperio illo ironico, quo quidam Provincialis Lusitaniæ prædicabat laudes P. Hieronymi Natalis, dicens: eum esse magnum murmuratorem, quia semper de se ipso mala proferebat, eo usque, ut obligari videretur ad suæ restitutionem famæ. Et merito, si quidem vitia, quæ sibi affricabat, poterant apud eum, qui virum non nosset, mul-

multum illum infamare, & vituperabilem reddere. Non tantum poterat P. Antonius obſtringi ſibi ad reſtitutionem famæ, ſed etiam honoris, tot erant nomina probroſa vituperii, quibus ſe deturpabat; nominabat ſe peripſema, beſtiam, jumentum mortuum, & fœtidum, & his pejora, quæ hic non exprimuntur, quia veretur calamus prodere exceſſus humilis linguæ, non uſurpatos ex cæremonia ſpirituali, aut affectatione, ſed ſuggeſtos ex affectu illo, quo mens & cor plena erant, ut nihil ingenii inventionibus relinqueretur.

Quadam vice exiens petitum eleëmoſynas cum mantica mendicatoria in humero, una cum ſocio Novitio oppidò juvene, oneratus furfuribus, dixit per jocum comiti: Tibi ut comptiori datæ ſunt merces elegantiores; mihi, qui ſum animal brutum, dederunt quod in me quadrabat, eleëemoſynam ex furfuribus. Subinde ſolebat ſe indigetare ferrum viliſſimum, ſed cupidum ſemel totum candeſcere, igne amoris divini: conceptus, qui poteſt illi condonari, quia

quia revera hoc illi evenit: hausto enim semel illo Sancto igne in corde ejus, materia forti & constante, formatum est vas omnium virtutum consummatissimum.

Quando jam eo sagacitatis devenerat, ut discernere posset, an defectus sui morales haberent propius aliquam speciem virtutis; incepit indagare an nihil vitii naturalis sibi adhæreret, cujus intuitu vituperio exponi posset? Ex natura non erat tam politus & accuratus in rebus suis extimis: res proclivis iis, qui multum intra se occupantur. Unde partim ex innata propensione, partim quia erat assuetus curam earum rerum relinquere illi, qui sibi serviebat; apparebat non ita nitidus, & compositus in suo cubiculo, vestitu, & similibus, quæ in usu sunt quotidiano. De hac incuria sæpe audiebatur se accusare publice, & privatim verbis, quæ proderent magnum hujus imperfectionis sensum, quasi in eo magna culpa lateret; donec tandem ex lumine cælitus illapso, cœpit habere quandam cupiditatem apparendi vilis & defectuosus:

facta

factaenim reflexione, dubium illi subiit,an qui videbantur in se defectus, essent actus virtutis. Atque ideo verrere cubiculum, efferre sordes, & ejusmodi alias atque alias actiones assumere, quæ habentur viles; differebat facere in tempus, quo cerneretur à nostris & sæcularibus. Alias faciebat quæ videbantur paulum diversæ ab usu communi: Benedicebat quandoque mensæ legendo in suo diurnali, portabat in sinu clepsydram arenariam, quando publice concionandum illi erat in Ecclesia; metiebatur ad illam in conspectu omnium suas preces & actiones. Gestabat secum libros visibiles, & volumina manuscripta in templum, & alia loca exposita; ut se occuparet interim non inutiliter, quo expectandum erat. Hæc & similia actitabat, quæ non nullis videri possent quidpiam singularitatis sapere: & suasus iis abstinere, parum admodum se emendavit. Cave tamen hoc vitio vertas, & tribuas incuriæ, quasi flocci faceret aliena consilia, aut monita, quæ tantopere ambiebat, & æstimabat; vel languori voluntatis in
se

ſe emendando: cum in emendatione aliarum rerum fuerit generoſiſſimus & ſummè deliberatus: vel inadvertentiæ, ut quidam opinabantur, quia fuit deprehenſus in ſe advertere, & notare res minimas obſervantiæ, & ſtudioſe in ea intendere, quæ videbantur ei caſu excidere: ſupereſt ergo ut dicatur illud, quod quidam poſtliminio ſapienter judicarunt, ultra exercitium aliarum virtutum, quibus velificabantur tales actiones, pullulaſſe hæc ex occulta radice ſummi affectus erga humilitatem, & ex cupiditate videndi ſe annihilatum & redargutum: quæ quando alte eſt in corde Sanctorum plantata, ſemper parit actiones, quæ primo aſpectu habent quid reprehenſibile & ſingulare.

Verum enim vero quantum quærebat reprehendi & carpi, tantum ſemper adnitebatur alios laudare, & bene loqui de iis cum affectu, & ſignis ſinceræ lætitiæ, procul ab omni fictione & ſimulatione. Atque ita ex pretio, in quo aliquos habebat, excurrebat in tantas eorum laudes; ut, niſi proveniſ-

ſent

ſent ex ſinceritate cordis vere humilis, potuiſſent videri exceſſus blandientis immodicè adulationis: equidem contigit eum non formidaſſe nominare in pulpito , cum inſigni commendatione perſonas quidem laude dignas, attamen adhuc viventes. Si quiſquam ederet quodpiam indicium ingenii, talenti, aut probitatis, quod alteri non videbatur niſi vulgare, & ordinarium: Ejus judicio erat tanto illuſtrius, quanto ipſe de ſe præ aliis abiectius ſentiebat. Hinc fuit aliquoties auditus multum deprædicaſſe res in aliis non animadverſas, aut laudari inſuetas. Nec ſolum encomiaſtem ſe faciebat aliorum ex proprio ſenſu, ſed alia induſtria utebatur humilitatis ſimul & charitatis. Si perſentiſceret, quod quandoque bene loquebatur coram quopiam, cui non optime conveniebat cum perſona laudata: ſignificabat prudenter in quam bona opinione eſſet apud alium, eo utens artificio, ad majorem inter illos duos affectum conciliandum dilectionis, & conjunctionis: & ut demonſtraret, quanti

ambos faceret. Hoc exercitium cordi habebat in primis, quo ſemper eſſet in opere edomandi tantopere ab eo formidatam & continenter oppugnatam, demumque debellatam paſſionem deſiderii, quo concupiſceret in quapiam re præcellere aliis, & dignus præconio videri.

Nec ſolum verbis, ſed inſuper in omni modo operandi, & converſandi, volebat videri, qualem ſe judicabat; id eſt poſtremum omnium; quia agebat cum unoquoque, etſi ætate & conditione illo inferior eſſet, ſummo cum reſpectu & veneratione, perinde ac ſi illi deberet primas deferre. Neque tantum cedebat locum omnibus, eo ſe habendi modo, ut appareret eſſe reverentiam non cæremoniam: ſed ſibi præripiebat ſemper deterrimum & ultimum, cum certa quadam animi libertate, quaſi hoc abſolutè ita fieri oporteret; etiam in caſu, quo peregrè adveniens hoſpes eſſet, aut Concionator. Idque moris habebat facere tanta cum reſolutione, ut vix reperiretur quiſpiam, quamvis inferior, qui aude-

auderet cum illo contendere. Quod si quandoque illi obveniret contentio ex conflictu humilitatis, quæ unicè est laudabilis inter Religiosos; non fatiscebat animo, nec deserebat, quantum posset, suam defensionem. Ita gratiosa fuit concertatio, quæ illi evenit Alexandriæ, quando illâc transibat, ut pergeret ultima vice Genuam, cum Patre, qui eum comitabatur per viam; à quo cum non potuisset obtinere, ut occuparet primum locum lecticæ, qua Superiores ob debilitatem, qua laborabat mittendum putarant; cogitavit sibi prævalendum interventu majoris auctoritatis, & prius quam atrio excederet, traxit P. Rectorem seorsim, quasi haberet quid gravioris momenti in aurem ei insusurrandum, & omnibus ingenii sui viribus usus est, ut litem suam evinceret, adductis mille rationibus, & precibus, ut præciperet Socio Patri, ex intuitu quod esset se senior professione Religionis, sederet in loco honoratiori. Negotiatio hæc non fuit tam occulta, quin in vultu se proderet, & ex modo agendi

demiſso circumſtantibus, quibus hoc probatum fuit; & ſocio, ſi non ob aliam cauſam, ſaltem ob charitatis meritum imperatum eſt, ut obſequeretur, ne cum afflictione P. Antonius Iulius iter ingrederetur. Ita conſolatus in viam ſe dedit. In hac, & in omni alia occaſione, viſus eſt aſſidue ſe gerere, tanta cum ſubmiſſione, & contractione, quantam poſset præſeferre pauper & inops mendicabulum, in domum de gratia admiſſum. Semper monſtrabat in moribus & veſtibus, tam modeſtum & humile de ſe judicium, quam poterat, in geſtibus & compoſitione corporis atque in modo agendi; adeo ut qui eum ſibi familiarem habuiſſent in ſæculari vita, vix eum cognoſcerent, & in ſummam tantæ mutationis admirationem raperentur. Hoc uſu venit Excellentiſſimo Domino Comiti Galeatio Trotti, Præfecto militiæ generali ſuæ Majeſtatis Catholicæ, in ſtatu Mediolanenſi, cui Pater probe notus fuerat, & ex uſu, & conſuetudine probatus, quando fungebatur officio Legati Reipublicæ in aula Hiſpa-

panica. Cum essent ambo Alexandriæ in patria Comitis, consultum censuit Superior, ut eum Pater honoris gratia iret salutatum. Ivit, & prudens ille Princeps contemplatus tam humilem, modestum & cum aspectu tam diverso ab antiquo, totum compositum, & spirantem auram vitæ prorsus religiosæ, (ut retulit Pater, qui erat illi socius) postquam illum benigne accepisset, jussissetque sedere, totus in teneritudinem abiit, & ex motu intimo lacrymas continere non potuit, ac dixit; quod ei sanctam illam sortem sanctè invideret. Ita comparuit non vilis ut ambiverat, sed pretiosus, & venerabilis ob ornamentum non affectatæ, at sinceræ humilitatis.

CAPVT IX.

Humilitas P. Antonii Iulii exercita in munere concionandi.

VIta religiosa P. Antonii Iulii fuit quasi tota impensa Ministerio Evangelicæ prædicationis. Etenim ex-

tractus è Novitiatu ſub finem primi anni, miſsus fuit ad Collegium Mediolanenſe, ad repetendam privatim Theologiam ſub directione cujuſdam Profeſsoris, qui illi materias diſtribuebat; ne illi deeſset ſolidus apparatus doctrinæ, quo erat opus habiturus ad docendum populum; cui muneri erat à Superioribus deſtinatus, & à pluribus jam tum expectatus, ob præclara ornamenta naturæ & gratiæ, quibus erat à Deo copioſe locupletatus. Interea ne eſset diu otioſus, maxime in ætate 48. annorum, non eſt permiſsus longo tempore in illa occupatione hærere: confeſtim abſolutis neceſsariis ſtudiis, quæ propter capacitatem, & velocitatem ingenii, exiguo tempore durarunt; nec non examine peracto ad profeſsionem, in quo judicatus fuit ſapere ſupra mediocritatem, & excellenti doctrina pollere; ſtabiliter applicitus fuit dicendi muneri, & cepit continuo concionari, quamvis tenuiter ad hoc comparatus; neque enim umquam omiſit, vel interrupit hoc opus, uſque dum mediantibus

tibus iſtis Apoſtolicis laboribus, glorioſum finem conſequutus eſt. Poſitus ergo in gradu tam ſublimi Oratoris Evangelici, in quo animæ languidæ & leviculæ ſinunt ſe evaneſcere, & incipiunt ſe reſpicere: Pater Antonius Iulius oſtendit quam firmo valeret capite, & in humilitate ſolidato, ut operepretium me facturum exiſtimem, ſpecimina virtutis hujus in iſto miniſterio data, quia ſunt valde ſingularia, conjunctim hic recenſere.

De ſuis concionibus humillimè ſentiebat: & nihilominus, ſi videretur fructus, quem in aliis faciebat, & audiretur plauſus Auditorum, qui ſequebatur: dixiſſes hominum nullum ita loquutum. Ipſe ſolus inſtar Pauli recenter converſi *apertis oculis nihil videbat*, & quod amplius *apertis auribus nihil audiebat*, procul remotus imo contrarius illis, qui omnibus tacentibus, ipſi ſoli ſentiunt & vident ſua decora, quamquam à nullis aliis percepta. Dum diceret in quadrageſima, plane alienus fuit ab omni invidia quod alii majori gauderent auditorio; quod procura-

rent per Dominos, & amicos, & commendationes concursum, quod gloriarentur de multitudine qua ipse carebat. Totum hoc non probabat, nec volebat ut alii pro illo, vel de illo loquerentur. Atque ita finita concione, sive secedebat ad cubiculum ut aliquantum quiesceret, sive ascendebat ad fastigium domus, ut in loco aliquo separato deambularet; & subtraheret se congratulationibus tum, & semper illi importunis. Si non potuisset se subducere, & non nemo intraret, ut loqueretur de sua concione, eamque extolleret: ostendebat sibi displicere, & vel silebat, aut dextrè discursum divertebat, aut apertè alium longe diversum introducebat. Exemplo hoc stabilio. Non poterat declinare laudes, quas non nemo ex Patribus cumulabat, de una concione, quam non ita pridem habuerat Mediolani. Initio tacuit aliquanto tempore: sed cum non cessaret dicere, aliis placiturum, sibi odiosum acroamá: vertit se ad alium ibi præsentem & ex abrupto illi dixit. Ibisne brevi Genuam? non credo quod ibi me ita belle videbis depictum. Qua

interjectione tam abſona, turbavit concentum tam ingratæ muſicæ, & facta eſt pauſa. Et ſane erat tam ſeria, & cordata diſplicentia, quam hauriebat è ſuis laudibus, ut neſciret ſenſum ſuum diſſimulare: erumpebat ex actibus & vultu adeo manifeſte, ut ſemel eam animadverterit Pater unus Taurini: & motus commiſeratione, ne moleſtiam illi ulteriorem crearet, ipſemet abrupit diſcurſum, quem in ejus commendationem inſtituerat. Si perſonæ, quæ cum eo ſermocinabantur eſſent ejuſmodi, ut ob humanitatis decorum conſultum eſſet omnino tacere, nec minus celare diſplicentiam: narrationem detorquebat aliquo dicto arguto, & amœno: ſed tincto pretioſo illo oſtro humilitatis; ut aliquoties factum, quando recenſebantur coram, illi fructus eximii quos referebat ex concionibus diſerte reſpondit: Perſonæ meæ repræſentatio plus oratorem ſacrum agit, quam verba, quæ pronuntio; quemadmodum patibulariis contingit, qui cruci proximi, fidem faciunt verbis, quanta infelicitas ſit eſſe ſceleratum,

ſed populus plus credit ſpectaculo, quam concioni. Iudicabat tamen ſatius ſilentium ad antevertendum. Multo minus introducebat umquam de illo ſermonem: nec enim auditus fuit umquam loqui de concionibus, Panegyricis orationibus, aut compoſitionibus aliis factis ab eo, aut dictis vel in bonam, vel in malam partem; vel deprædicando, vel vituperando, ut non raro fit ad laudem ciendam: Ut magis ſe ab omni occaſione gloriolæ illius removeret, non audiebatur vel in familiari colloquio narrare res, quæ acciderant; & mentionem adijcere ſuarum concionum: ſicuti ſolent quandoque alij dicere in converſatione: quando prædicabam ego Romæ. Quando concionabar Mediolani &c. de his rebus, quæ tam ſæpe nobis in ore verſantur, ſervabat conſtans & revera humile ſilentium. Nec honores, qui illi deferebantur, à populis, Principibus, & Prælatis cum frequentia aliis inuſitata, loquendo cum illo tamquam cum filio tonitrui, & Apoſtolico Prædicatore, viſitando, invitando, colendo,

do, delicijs afficiendo, & alijs modis ſingularis æſtimationis præveniendo, alio modo non accipiebat, niſi quo dextrè quilibet declinans & honorum fugiens poſſet. Et hæc fuga videbatur adhuc illi honorata nimis, ſi oſtenderet ſe diſſimulare, ſi non velificaretur, ſi prætextibus coloratis ſe extricaret. Sic factum Romæ, ubi habebat Cardinales, & multos Prælatos, & nobiliores Dominos ſibi propinquos, & veteres amicos. Et Mediolani quidem, ubi plauſibiliter converſatus fuerat, dum adhuc ſæcularis eſſet cum Dominabus, & equeſtris ordinis præcipuis. Illos non inviſebat, nec viſitationes admittebat; ſed ita ſe erga illos gerebat, ac ſi omnem antiquam notitiam aboleviſſet. Lucæ autem ubi ipſe ſæcularis, & Marchio ejus filius ſæpe fuerat verſatus, nemo erat illorum Dominorum, quem cultis ſuis moribus, & conciliatrice lingua non demeruerat. Volebant illi, quando iſthic concionabatur, antiquam conſuetudinem tanto plus colere, quanto cernebant acceſſione religioſarum virtutum magis no-

nobilitatam : verum ille tum titulo concionum , quas , ajebat , sibi nimium operæ dare ; tum pretextu curationis, quam ratione infirmitatis supradictæ per diem adhibebat; omnibus visitationibus vel faciendis, vel acceptandis se exemit; & quod sequebatur molestia audiendarum suarum laudum liberavit. Tantum admittebat per intervalla colloquium probi unius sutoris, habiti in illa urbe pro viro exemplaris, & inculpatæ vitæ, cum quo jucundum illi erat aliquot horas traducere conferentiis spiritualibus. Cremonæ numquam voluit uti per civitatem rheda, nec recipere ullam demonstrationem humanitatis officiosæ à benevolentissimo & prudentissimo Domino Episcopo Francisco Visconte; ne quidem illam, qua sapiens ille Antistes dignari consuerat alios Concionatores, quos solitus erat aliquoties mensæ suæ adhibere, maxime ante, vel post dictam quadragesimam. Sed quid eum terrebat? quod cum ab eo cognitus fuisset Romæ, quando adhuc juvenculus eo profectus fuerat

rat cum Patre ſuo Legato Reipublicæ; quæ eum, ut moris, miſerat ad præſtandam obedientiam ſuæ Sanctitati, ſuſpicabatur ſibi plus reliquis honoris deferendum. Nihilominus è compluribus talibus blanditiis, non invenit ſemper modum ſe extricandi. De ejuſmodi honoribus aut acceptis aut recuſatis abſolute ſemper tacebat, aut ſi eſſet interrogatus, loquebatur quaſi non dignaretur reſpondere, niſi ſemper verbis, quæ impreſſam gerebant ipſiſſimam effigiem humilitatis. Concionatus fuerat Quadrageſimam Mutinæ, & invitaverant eum, ut aliquanto tempore penes illos maneret Sereniſſimi Principes, qui eum cum magno ſenſu pietatis audiverant dicentem, & deſiderabant fatigatum ex ſingulari favore extra civitatem aliqua recreatione afficere in locis deliciarum, quos Principum more foris habebant. Ipſe ſe operosè excuſavit prætextu negotii prægnantis, quod dicebat ſe Mediolani habere; & exigebat, ut ibi quam primum ſe ſiſteret. Et vero ſtatim poſt feſta properavit Mediolanum, quo cum ve-

venisset citius, quam quisquam opinatus fuisset; obviam factus est cuidam fratri; qui admiratus dixit: quomodo R. V. reversa est tam cito, ut ne quidem prænuntia habuerimus eam venturam? Respondit Pater: egregia res! nunquid è Magnatibus unus ego sum; qui debeam apparatorem præmittere, ut nuntiet me brevi adfore? In honoribus porro, quos videbat se excutere non posse, utebatur alia industria humilitatis, non velle videri humilem se humiliando, nec acquirere honorem cum inutili repulsa honoris; tum enim moris habebat non loqui vel verbum, nullas excusationes humanitatis adhibere, vel instantias ad recusandum. Quando idem ille Episcopus Visconte Patre destinato jam ad dicendum per quadragesimam, è suggestu suæ Cathedralis, singulari circumspectione Concionatoribus Societatis reservato; miserat suum Secretarium cum rheda sex equorum, ut adduceret, & reduceret. Pater ad insolitum istum honorem, quem cum decore, non poterat reiicere, non ostendit id sibi placere
vel

vel diſplicere, gratum eſſe vel ingratum, accipere vel detractare, ſed ſivit ſe vehi contentus quod humiliaret ſe, monſtrando ſe æque facilem in acceptando, quam honeſto prætextu ad reſiliendum. Erat utique tam remotus ab omni ſpecie præſumptionis, cujus impulſu prætenderet in domo majus ſibi deferri obſequium, aut delicias in victu, aut majorem curam ſuæ perſonæ, quæ eſſet in tanta auctoritate in Eccleſiis, in quibus concionabatur; ut domi ſe gereret, quaſi minimus omnium, nec plus daret turbationis, quam ſi non eſſet in rerum natura. Si excipias quod cibum ſumeret in cubiculo, quando per quadrageſimam concionibus deſtinabatur; quamvis eſſet illi non levis mortificatio; faciebat id ne periculo ſe exponeret, publico præjudicandi: cæterum non admittebat, nedum petebat rem quampiam, quæ ſpeciem haberet ſingularitatis, etiam abſtinens eo, quod fatigatio & debilitas ſuo jure requirebant. Abſoluta deinde quadrageſima, tam procul erat ne evaneſcens geſtiret,

de

de magno auditorio, singulari applausu, & fructu extraordinario sequuto, ut semper potius tam dejecto animo reperiretur, quod quandoque oportuerit eum consolari; contra quam aliquibus contingit, quibus displicet illud quod faciunt ex appetitu gloriæ; quia revera judicabat se defuisse partibus suis, & pulpitum dehonorasse, eo quod videretur sibi dixisse quædam, quæ haberent plusculum licentiæ, & levitatis, quas opinabatur præcone verbi divini indignas.

Si contingeret elapsum ei quidpiam fuisse dignum censura, aut in se, ut possunt etiam prudentiores errare; aut propter adjuncta, quæ quandoque exigunt particularem circumspectionem; ipse non solum non detrectabat correptionem, nec excusabat dictum, sed errorem plene ac sincere agnoscebat. Cum aliqui ad P. Generalem detulissent, excessisse in invectiva quadam è pulpito ex nimio zelo facta, non tantum se non purgavit, sed P. Provinciali supplex fuit, ne se defenderet, ut merito poterat, apud suam Paterni-

ta-

tatem; ſed permitteret mortificationem dignam, ut dicebat, propter ſuam temeritatem, ſibi injungi. Notabilius aliud documentum, quod Romæ dedit; ubi cum magna vehementia gravius perſtringeret vitia, & exaggeraret gravitatem peccatorum, quam arguebat ex plagis, quas Deus immitteret Chriſtiano orbi, flagellans etiam ferro hoſtili: exemplo uſus eſt rei, quæ Magnatem aliquem perturbavit. Quare juſſus eſt in pulpito hoc temperare. Sine ulla tergiverſatione, & oppoſitione ſumpſit in ſe, non ſolum id facere libenter, verum etiam fecit cum maxima claritate, & tranquillitate, obſervata à compluribus prudentibus, Religioſis æque ac ſæcularibus: & inſuper libenti animo ſubivit impoſitam ſibi in refectorio pœnam; nec doluit eam innoteſcere perſonæ offenſæ; quin imo dixit P. Generali, etiamſi præciperet cum reſte ad collum alligato accedere ad ſuam Excellentiam, ut peteret ſibi condonari offenſam, ſe non defuturum. Et in omnibus ejuſmodi eventibus eo ſe gerebat modo, ut licet culpabilem ſe

non inveniret, paratus esset dare satisfactionem, & fateri se vere errasse, atque mereri correctionem. Scribens deinde hunc successum ad Amicum, solum dixit: *De meis concionibus absolutis cum consueta mea imprudentia, nihil tibi habeo dicere, ne fastidium pariam argumento parum lectione digno.* Qua parsimonia in scribendo, volebat se præterea privare illa consolatione, quæ sentitur ex eo, quod in simili casu quis possit Amico fidenter aperire, quid sibi sinistri acciderit: dici tamen potest eum non habuisse sensum afflictionis, quem alteri posset communicare; quia apud alios gravius se incusabat absurditatis & temeritatis, quod caruisset semper judicio; & quod meritus fuisset expelli è Societate, cui non noverat servire, at solum damno esse. Nec hoc erat judicium actuale unius vicis, causatum ex aliquo casu extraordinario, sed perpetuò, quantumcumque res illi bene & prospere secundum communem opinionem successissent, humilitas eum in suo tribunali condemnabat. In Epistola ad amicum,

cum, poſt prædicatam quadrageſimam Genuæ anno 1656. maximo concurſu, plauſu, & fructu: ita fatur: *Fecit mihi Dominus gratiam ſupra communem, quod dederit mihi vires ad continuandum uſque ad finem: ſed ego illi correſpondi more meo, hoc eſt abſurde; quia ſubinde timui illi ſervire, eo quod illum ſæpenumero offenderim, effutiendo res inſulſas, & indecentes, quas non adverti eſſe tales, niſi poſtquam protuliſſem. Si antea reflexiſſem, voluiſſem conferre cum aliis, qui me prudentia anteſtant.* Has vero quas vocat abſurditates, & indecentias, nemo cogitet fuiſſe vana & levicula, poëticis phaleris, & verbis ad prurientes aures compoſitis, & riſum concitare natis pigmentata, & depravata; ſed ſolum erant tractus aliqui, magis arguti tamen, quam Sacri, qui ex aſſuetudine librorum variæ eruditionis à ſe in ſæculo ſtylo eleganti editorum, illi adhæſerant: Quemadmodum S. Hieronymo elegantiæ Marci Tullii Ciceronis, & ex verſibus Virgilii, quos non ſatis cum maturitate Sacri Oratoris potuerat ad limam revocare:

re: enimvero Zelus se, & alios salvandi desiderium, cito eum rapuerant ex Academia ad Ecclesiam; nec dederant otium commodum studio Sanctorum Patrum, quorum lectione, ita ejus eloquentia reformabatur, præscindens ornamenta Magdalenæ, & in locum assumens Iudithæ, ut si illi plus temporis relictum fuisset ad se perficiendum, reliquisset normam perfectam sacræ eloquentiæ, forte à multis expetitam, sed à paucis impetratam. Qualiscumque tamen fuerit, omnibus erat admirationi, preterquam sibi soli: eapropter arbitrabatur dignam, cui silentium saltem in urbibus imponeretur. Hinc in alia sua epistola, dolens se Senâ Missum Romam in lecticâ, ad quod fuerat adactus, quia de facto febricitabat; eratque ejusmodi morbus, ut phtysim minaretur in aëre Senensi: ita tamen scripsit. *Haud dubie habebis quod doleas, quando intelliges me alteri rei servire non posse, quam quod proficiscendo nunc uni, nunc alteri Collegio molestius esse, & onera creare debeam: verumtamen me consolor hac satisfactione,*

quod

quod Superioribus plus una vice repræsentaverim prævisionem meorum successuum, & quod par non sim deinceps futurus, licet alii meliorem de me haberent opinionem, itineribus conficiendis. Ex humili hoc sensu quem de se ipso habebat in munere annuntiandi regnum Dei; oriebatur illud magnum desiderium, quod supra, illum notavimus habuisse in aliis rebus; nec in hac functione defuit, instructionis accipiendæ; & promptissima facilitas accommodandi se aliorum consiliis, atque secundum ea componendi æque alias suas actiones, ac conciones; quia numquam sibi persuadere poterat quod in arte dicendi magister esset. In quadam quadragesima, Pater, cui multum tribuebat, observaverat non nulla ex concionibus ab illo auditis, quæ videbantur posse corrigi, ac emendari: aliquo igitur post quadragesimam finitam tempore, ad eum detulit puncta à se censurata. Quibus P. Antonius Iulius ita recreatus fuit, ut voluerit sæpius recurrere ad eumdem Patrem, quo melius reminisceretur, & clarius il-

las animadversiones perciperet : nec finis erat gratiarum, quas ei referebat, dicebatque dolere se quod non omnibus suis concionibus interfuisset, ut de omnibus suis erratis judicium prudens ferre posset. Apud alios vero profitebatur, illum Patrem se habere pro amico sibi carissimo, qui se de omnibus secundum veritatem & rationem commonefecisset : condemnans seipsum, nominatim in quibusdam, de imprudentia commissa non parva. Dum versaretur Mediolani, fuit rogatus ab Excellentissimo Senatu, ut peroraret in solemnitate, quam sacrum illud collegium celebrabat, in Die natalitio ultimi Principis Hispaniæ. Pater se excusavit quantum potuit, quia non libenter ratiocinabatur nisi cum fructu, cujus ejusmodi Panegyres parvam spem faciunt. Nitebaturque illum honorem, & plausum excutere, utpote semper hostis omnium earum concionum, quæ pompam habent; & in genere exornativo plus ostentationis præferunt quam rei. Ista autem vice magis difficilem se

præ-

præbuit in admittendo, quia ſibi in animum induxerat, non poſſe ſe diſcurrere hic & nunc cum ſatisfactione, tam ſapientis & gravis conſeſſus. Verum cum excuſatio non eſſet admiſſa, humile ejus cor ſuggeſſit illi rarum conceptum: petijt enim ut alter componeret diſcurſum, quem ipſe ſibi imprimeret, & recitaret. Eo nec probato, nec conceſſo; non ſuperſedit, donec aſſignaretur ei Pater, qui auxiliarem ſaltem ei manum in componendo præſtaret, & ſecum conferret. Et de facto contulit, mutavit, correxit, dempſit & addidit ex arbitrio illius Patris, quidquid ſuggeſtum fuerat. Nec ſolum mutavit, accommodando ex virtute certo quodam modo voluntatatem, ſed maiore virtute penitus ſubijciens intellectum, fatebatur recte eſſe emendatum; & oſtendebat ipſemet perſonis, quæ ignorabant alienam manum interveniſſe, cenſuram quam tulerat; & arguebat illa, quæ primo in chartam coniecerat, tamquam inconcinna, aiebatque ſe multum debere illi, qui plumbum ſuum

 ver-

verterat in argentum & aurum. In his erat multo liberalior, corrigebat, & delebat, quando minima umbra apparebat auctoritatis Superiorum. Atque ita Cremonæ significaverat se decrevisse de pulpito proponere casum qui evenerat recenter: Superior curavit eum moneri per Fratrem Coadiutorem, qui erat illi socius, conducibilius fore, si id non diceret. Ipse statim paruit, & erasit. Incumbebat illi Mediolani concio de B. Francisco Borgia, in ejus festo die, quæ maiori quodam apparatu celebrabatur, ob præsentiam D. Ioannis de Borgia præfecti Castri Mediolanensis. Multum tergiversatus est, etiamsi multa illi erga Beatum illum intercessisset propensio tam in sæculo quam Religione: tandem tamen acceptavit laboris solius intuitu: quem appetebat, & à quo alij se subducebant; cum esset tempus, quo studia cessabant. Et tum quidem quod attinet argumentum, non dabat occasionem, timorem demonstrandi, ne esset aliquid in suo conceptu quod esset incongruum, aut suspectum de Iudicij

de-

defectu : ut ne tamen impegiſſe ſe neſciret , petijt ſtudioſe à quodam Scholaſtico noſtro, ut ſe moneret, ſi alicubi exerraret. Cæterum quando offerebatur neceſſitas præſtandi aliquam actionem, quæ nata erat ei parere plauſum ſingularem , nec poſſet excutere , aut obſcurare , quaſi haberet horrorem illius ſplendoris humani, confeſtim ſe recipiebat ad orationem, & ut poſſet ex animo dicere : *diem hominis non deſideravi*, etiam lucem diurnam excludebat, colligens ſe in tenebris; fortaſse ad imitationem P. Vincentij Caraffæ, qui honore affectus à Prorege Neapolitano, ut Patrini vice aſſiſteret filio, Sacro fonte Baptiſmatis luſtrando; reverſus domum in obſcuro ſe abdidit , & quæſivit occaſionem, ut omnem aulæ recordationem à mente ſua excluderet. Non abſimiliter P. Antonius Iulius, Taurini concionatus feſto Circumciſionis coram Celſitudinibus ſuis Regijs , & tota Aula nobiliſſimæ claritudinis : continuo ſe ſubduxit in cubiculum : quo caritas ſuggeſſit cuidam Patri , ut eum conveni-

 ret,

ret, ex ſollicitudine, ne deficientibus alijs, qui eum curarent, ſolus relictus eſset, & male illi provideretur; pulſavit ad oſtium, & cum ob ſtrepitum, qui foris erat, non audiſset, an Pater reſpondiſset; aperuit, & reperit eum in obſcuro cum toga, ſtola, & ſuperpelliceo, ſicut deſcenderat è ſuggeſtu, genuflexum in medio cubiculi; ut cor ſuum cum Deo recolligens, abſtraheret ab illo plauſu, & honore externo, qui ei utcumque lenocinatus fuerat, & mentem diſtraxerat; quo oſtenderet pluris ſe facere illam ſui deſertionem, qua dignum ſe cenſebat, quam concurſum.

Confugiebat ad omnes illas latebras (ſi tamen ita appellare fas eſt) quibus ejus ſtudebat humilitas procurandis, adiunctas claritudini concionum ejus, quam dum nitebatur caligine involvere, magis acuebat ad ſplendorem. Omitti hic tamen non debet magnum & aſſiduum, quo flagrabat, deſiderium non prædicandi in urbibus celebrioribus, & magnis; nec è pulpitis, quæ nomen & famam conciliabant; ſed in exiguis pagis & oppidis, ac locis

igno-

ignobilibus ; imo prorſus deſiſtere à concionandi munere optabat. Movebatur autem eo ex cauſa, qua zelum animarum moderabatur ; quod diceret ſe jam inde à ſæculo habuiſſe appetitum ſe oſtentandi, & quod ille perpetuo ſibi adhæreret, faceretque concionari cum ambitione & vanitate. Fatebatur id tam ingenue, & eo candore, ut credibile faceret, ſibi relictum aliquem ex illis Angelis Sathanæ, qui eum colaphiſaret puerilibus illis vanæ gloriæ inſultibus, ut per illam infirmitatem perficeret ſe in virtute virili & robuſta humilitatis, quæ ſub illis ictibus vigorem hauriebat; & ex adverſo ſuſpectas faciebat negationes illorum, qui ſubinde ſpirantes vanitatem in dictis, in aſpectu, in perſona, non habent tamen minimam humilitatis ſcintillam in corde. Fatebatur P. Antonius Iulius ſibi tales favillas aliquando in pectore ſubſilire, ſed tanta cum celeritate eas excutiebat, ut non ſolum *odor ignis non eſſet in illo*, ſed etiam repercuteret eò, unde venerant; ut inimicus ringeretur, & arderet invidia. Sic Cremonæ, ubi fuit

fuit libentissime auditus, quodam die ob exequias celebres, quæ alibi celebrabantur, habuit in concione paucos præsentes: de quo sensit primo intuitu displicentiam quandam naturalem, sed illico ut *faceret cum tentatione proventum*, se humiliavit, manifestando imperfectum suum fratri sibi socio, & dicens; quod utcumque sensisset, videre auditores tam raros; sed simul adiecit quod si obedientia ei præcepisset, concionari ad nudos parietes; eodem tenore & fervore dicendi, quo alias, usus fuisset. Verum enim vero licet hanc insidiantem sibi ambitionem studeret tantis animis superare, quia tamen recordabatur antiquarum inanitatum, non fidebat sibi usquequaque. Ut itaque isto se metu liberaret, & in pœnitentiam suorum peccatorum; sæpius proposuit voce & scripto suis Patribus Spiritualibus, ac Superioribus, sibi adimerent ministeria ista speciosa, & occuparent se in locis & functionibus inferioris ordinis. Quam autem sincere hoc cuperet, in litteris suis satis exprimebat, In unis

ad

ad amicum scripsit in hæc verba. *Absolvi conciones esurialium dierum magno cum tædio & labore. Nunc cum approbatione Patrum meorum, quibus Spiritus curam concredidi: cogito Patri Generali proponere aliquas rationes concernentes, alias corpus, alias Spiritum; ob quas mihi apparet, si debeam perseverare in munere prædicandi, satius fore sphæram Concionatoris Provincialis, quam Generalis percurrere, id est prædicare in pulpitis tertiæ classis, quam primæ vel secundæ, quæ P. Provincialis dispositioni relinquuntur. Hæc illi vivaciter proponam, & postea cum resignatione promptum me exhibebo, ad omne id, quod de me statuet Obedientia.* Id cum exequutus fuisset, paulo post scripsit ad eumdem: *scripsi non ficte, sed ex corde Patri Generali, & proposui illi nervose multa solida in utramque partem argumenta, quibus permoverem, ut consideraret, utrum expediret magis me applicari pulpitis speciosis, in locis, & urbibus conspicuis, quam condicionis minoris, non tamen minus, at fortasse magis idoneis ad fructum colligendum. P. Generalis rescripsit mihi sibi gratum id accidisse, nihil tamen in*

par-

particulari resolvit. Equidem hoc lucratus videor, quod in illo splendore nihil habiturus sum mei, & me promptum obtulerim ad descendendum à summo ad infimum gradum scalæ, sine ulla vel minima repugnantia; uti per Dei gratiam palam faciam, si periculum fiat.

Porro licet videret, quod Superiores prudenter anteponentes gloriam Dei ejus judicio, & desiderio fugiendi vanam gloriam; nec non civitatum, & Prælatorum expectationem, bono humiliationis ejus, non annuerent ejus petitionibus: quia tamen illæ proficiscebantur ex sincero corde, & cupientissimo, non apparendi humilis, sed vilis, ut sibi persuadebat se esse; non desijt umquam prolixis id litteris sollicitare, & instanter à Superioribus deposcere, nec desijt, usque dum vita suppeteret. Anno 1661. quatuor præter propter mensibus, priusquam ad meliorem vitam migraret; dum esset Mediolani ut diceret per Adventum, eo quod debilitas virium se proderet in vultu, & indicium esset, quod affligeret se maioribus doloribus, quam par erat

erat, præcepit illi P. Provincialis, ut chartæ committeret omnes orationes, devotiones, & auſteritates corporis, quas faciebat, quo eas moderaretur, & ſolatijs reficeret. Quid ipſe? Quamvis eſset humillimus, paruit tamen confeſtim, & quod erat juſsus facere, in folio deſcripſit, & tradidit: de quo poſtea redibit mentio: finita autem enumeratione pœnitentiarum, non reflectens, quod non exigeretur ab illo recitatio deſideriorum, quibus flagrabat ad ſe humiliandum; quoniam tamen ijs plenum habebat cor, ut quocumque loco & tempore ea excitaret, adiunxit etiam ea *opportune importune*, & verbis ſuis expreſſit, quæ operæ pretium erit ad edificationem hic referre. Et licet alibi aliquid in hanc rem perſtringendum eſt, nec ingratum, nec ſuperfluum erit ea ſubiungere tamquam ſpirantia præſtantem virtutem. Dicit itaque in hunc modum: *Habebam ex natura meretricium genium ad ſtudia litterarum, & vanitatis, quæ ex illis reſultat, cupidiſsimum; nec habilitas ſupra vulgarem ad ea aſſequenda deerat.*

deerat. Verum enim vero Pater meus ei non velificabatur, non permittens me frequentare scholas. Sed domi dabat mihi Magistros parum peritos, à qualibus cum facile didicissem, quidquid habebant scientiæ, credebam me affatim sapere. Postquam vero in virum excrevi, vidi me parum scire: & quasi phrenetica quadam ambitione in cupiditatem abreptus, me in doctrinis perficiendi; volui tempus deperditum recuperare; atqui totis diebus & quasi totis noctibus incumbendo studijs, sensi me magis, ut ita dicam intricari, quam proficere: ad eum modum, ut licet stomacho præditus essem & capite fortissimo, post quinque, vel sex annos, quibus eam vivendi normam sectatus fuissem, expertus sum unum & alterum ita labefactatum, ut invenirem me plane inidoneum, qui deinceps aliquid præstare possem. Perpetuo tamen per annos plurimos, violentâ illâ passione doloris fui cruciatus, quod caruissem bona directione in conquirendis scientijs, & quod valetudinem pessumdedissem ex ambitione eas assequendi, & per earum splendorem eminendi. At licet mihi per Dei gratiam lux aliqua affusa sit rerum æternarum, qua illæ pas-

passiones non parum fuerunt refrenatæ, non tamen fuerunt penitus extinctæ; nam per intervalla melancholicis insultibus me impugnarunt, nominatim suggerendo appetitum commorandi in locis celebrioribus, in quibus obeuntur functiones illustres, & litteræ efflorescunt; tum quando isthic judico de tali vel tali juvene, quod in re litteraria laudem tulerit, mihi recurrit in mentem, quod cum essem adhuc ætate inferior, plus præstitissem, si pares præceptores habuissem. Quæ omnes ariditates ex vanitate Spiritus originem habebant, cui fui extremè obnoxius; neque adhuc modo ab illâ sum omnino immunis. Puto me vero, ab ea impugnatione penitus liberatum iri, si vivere mihi detur in quopiam Collegiolo, ministerijs tam splendidis non occupato, sed omnibus ignoto; & sub Superiore, qui ex natura contrarius meo genio, occasionem det abnegandi meam voluntatem; quod si autem pars tunc sensitiva sentiret, repugnantiam in parte inferiori; nihilominus pars Superior, ut mihi persuadeo, pro emolumento spirituali haberet non leve subsidium. Quare R. V. infimis precibus obtestor, in genua abiectus, ut pro gloria Do-

mini Dei nostri, mihi hoc tribuere digne-tur. Hæ erant impressiones & cogita-tiones humillimi illius cordis, in qui-bus ultra notitias, quas dedit suæ ex-cellentiæ naturalis, tanto securioris, quanto magis comparatæ ad se humi-liandum, manifestarunt se tantæ vir-tutes, quantas poterit observare Reli-giosus Lector, cupidus proficiendi.

CAPVT X.

Mortificatio passionum in animo P. Antonii Iulii.

MOrtificationi hæroicæ passionis tam superbæ, possumus Socias addere, quasi in comitatum triumphi, alias passiones animi, quæ fuerunt ab illo tam alacriter coërcitæ & refræna-tæ, ut cum ne quidem parvi motus fuerint ei familiares, non potuerit deprehendi quo firmo animi decreto dominium eorum sibi comparasset. Sufficient tamen pauca indicia in ar-gumentum victoriæ tam generosè ob-tentæ. In eorum seriem accenseri po-test

teſt illud deſiderium ſupra relatum, vivendi in aliquo Collegio obſcuro, non ſolum humiliationis gratiâ, ſed etiam cum acceſſione Superioris, qui eum aſſiduè exerceret, in abnegatione propriæ voluntatis. Tale fuit poſtulatio, ut poſſet ſe tamquam vile mendicabulum oſtendere in porticu Albari, & vanitatem ſæculi explodere, mortificando ſe in ipſa mortificatione amicorum, & propinquorum. Tale item conſtantia in geſtando habitu vili, cum eſſet Sacerdos ſæcularis, in conſpectu totius civitatis cum ſenſu ſuorum conſanguineorum, inter quos ut fuerint multi pietate præſtantes; tamen cum necdum perveniſſent ad eam Philoſophiam, quæ latet ſub hoc pallio, habebant ſe pro dehonoratis & læſis: ſed alia ſunt præterea quæ non ſunt adhuc commemorata, recordatione tamen & imitatione digna. Sunt autem hæc: Eo tempore, quo Oratoris munere fungebatur in aula Hiſpanica, & meditaretur reditum cum tota ſua familia, fuit per mortem ereptus filiolus, qui illi erat longè cariſſimus,

& de quo scribens ad Dominam suam Matrem dicit: *profecto tam inopina mors & jactura, pupugit mea viscera, quia puellus elegantior, & indolis placidioris, non poterat vel imaginatione alicujus concipi & fabricari*: dein recensitis qualitatibus ejus bonis, robore & valetudine, quæ præferebat, statim prodidit, quam Christiane viderit eum, spatio non amplius quatridui, quadam specie epilepsiæ exspirantem, dicens: *Et tamen quando fingebamus nobis spem affulgere periculi cessantis; subitò extinctus est. Patientia. Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum! meliorem sibi sortem securam reddidit, & migravit, ut æternum beatitudine gaudeat; cujus fidem certam habemus: proinde dignus est invidia, non lacrymis. Attamen qui cor habet Patris & oculos ad cernendum, sibi eripi pusionem & infantem tam amabilem totum venustum, & mansuetum, & totum bellum qui sortitus erat animam prorsus bonam; non potuit non esse lacrymabundum etiam illud gaudium, quod sit beatus. Cæterum orabit pro nobis, intercedet pro nobis. Deo gratias agamus.* Ita noverat suo tem-

tempore concordes reddere affectus Patris, & Christiani. Aliquanto post, cum esset Sacerdos sæcularis, mortua est sibi senior filia, non ita pridem marito juncta. Indicium sensus hoc solum edidit, quod receperit se ad Novitiatum nostrum foris Genuam, ubi sequenti manè, plus quam per horæ spatium discurrit quidem cum uno è Nostris de rebus bonis, & salutaribus; sed ne verbo quidem illato de tali morte, nec minimo perturbationis signo dato: adeoque qui non percepisset aliundè casum, ne tum quidem recordatus fuisset; nisi quando Pater, qui recenter fuerat Sacerdotio decoratus, se paravit ad cebrandum, & rogavit ejus opem, ut quæreret in Missali Sacrum pro defunctis, quod intendebat pro eâ facere: per cujus mortem, quanto minus commoveret se, ad sensus doloris inutiles eliciendos, *sicut & cæteri qui spem non habent*, tanto magis resuscitati sunt sensus illius tristitiæ, *quæ in salutem stabilem operatur*. Etenim illo ipso mane dedit in refectorio communi quædam signa hu-

militatis, & pœnitentiæ; de quibus dictum jam est superius. Argumenta animi altè, & Sanctè in Deo fixi. Neque minus ponderanda est fortitudo, quâ, licet jam Religiosus, accepit obitum Domini Iacobi Philippi Durazzo cognati sui, quem singulari amore complectebatur, tenero simul ac forti; utpote qui fundatus erat, non solum in communione sanguinis, verum longè amplius in soliditate virtutum, quæ illi præsto erant in supremo gradu, & exercebantur moribus gratiosis & benevolentia plenis; quod ei etiam conciliabat gratiam apud non conjunctos, & reddebat supra modum spectabilem inter Nobiles; utpotè qui tum honoribus civilibus, & auctoritate privata in sua patria emineret. Cum ita nobilitate, atque una præfulgeret ornamentis virtutis, finivit optimam vitam morte, quam fecit pretiosam coram Domino, fortitudine animi, pietatis affectibus, & crebris actibus virtutum Christianarum. Quod cum relatum esset P. Antonio Iulio, qui tum temporis versabatur Senis apud Dominam suam sororem,

rem, viduam defuncti: dedit ad illam Epistolam spirantem quid Sanctitatis, in quâ, uti non patefecit minimum infirmitatis humanæ indicium, eo quod perdidisset propinquum tam arctè sibi devinctum, & amicum tantopere addictum illi, & toti Societati; ita attulit sorori consolationem planè robustam, desumptam ex certa fiducia bonorum æternorum; & nixam spe certâ, quam conceperat de salute animæ ejus, quod gauderet remuneratione, qua bonorum suorum operum aliàs patratorum, qua cruciatuum in morbo & morte constantissimè toleratorum. Vndè concludit: *quod me attinet nullus dubito; quin ipse ut summum, ut summum inquam tantum transierit, quasi per ignem, & modo dicat: O beatæ & felices afflictiones, quæ paucorum dierum levissimis pœnis, me redemerunt ab illis; quarum singulæ horæ superant annos integros, quibus aliquis decumberet in lecto, omnibus Iobi miseriis, & morbis oppressus! Eia ergo soror amantissima, noli angi corde circa res transactas: sed esto secura, quod Deus usque ad extremum halitum Marito tuo astiterit, & cu-*

stodierit paterno suo, & amabili, & liberali modo agendi, quo solet divina misericordia uti erga suos, quos magis diligit. Certè quasi manibus palpandum dedit quam luculentè noverit præmiari eos in morte, qui dum viverent, illi benè servierunt. Hæc erant sensa, quæ in morte carorum vivebant in corde P. Antonii Iulii mortui omnibus aliis. Nec enim solum mortuus erat suis consanguineis extinctis, sed insuper etiam vivis. Invitatus aliquoties ad domum vel prandium à dicta Domina sua Germana, ubi, ob conspirationem animorum quæ erat inter illos, poterat esse securus, tractandum se magis ab eâ ad modum Magdalenæ, quam Marthæ. His non obstantibus quantumcumque rogaretur, & licet in ejus domo sæpè versaretur. Dominus Franciscus filius suus secundo genitus sibi perdilectus; numquam induci potuit, ut iret, nisi forsè unis vicibus, ut suis Superioribus obsequeretur; & tum tam frigidè se gessit, & animo tam distracto, & aliis cogitationibus occupato, quasi esset à se dissitus, & ut volebat S. Antonius,

nius, esset Monachus extra cellam, videreturque piscis extra aquam. Quin imo quando ille, & illa degebant Mediolani; quantumvis dicta Matrona videret alio se non gaudere solatio, quam ex ejus conversatione spirituali; aut aliquorum ex suis filiis Religiosis; ita tamen erat ab illâ abstractus; ut subindè alia de causa egressus domo, si quæreretur à socio, an non vellet eâ occasione uti ad invisendam sororem? responderet: non certè: quia esset perdere tempus. Cum esset missus Genuam, ac ibi multis mensibus subsisteret, numquam accedebat ædes suorum consanguineorum, aut propinquorum ad eos invisendos, nisi ob aliquod officium misericordiæ & Charitatis; cujus instinctu multo tempore de industria astitit sedulo Dominæ Matri suæ in morbo & morte; nec voluit interea immiscere se negotiis ullis familiæ, prout fecisset alibi: sed solummodo impendit se saluti & devotioni illius animæ, quæ istis pietatis obsequiis consolatissima ex hac mortali Vita migravit ad immortalem. Cæterum ex

humanitate, quamvis intra terminos Religiosis non dissentaneos, non ibat quemquam visitatum, dicens habere se rationes, quare sibi magis, quam cuilibet alteri, maximè Genuæ conveniret ab omni simili urbanitate abstinere: unde per æstatem concionanti in templo nostro quod habemus Albari, cum insinuatum esset à Superiore moris esse, & consultum Ecclesiastæ, visere personas eminentiores, nobis magis addictas & devotas: ne obedientiæ se subduceret, paruit: aliquot earum cum ipsomet Superiore adivit; atque ita se gessit demissè, ut apud illos Dominos non solum benevolos erga Societatem, verum etiam familiariter notos, & veteres amicos, cum quibus paucis ante annis fuerat familiariter conversatus, & nominatim, in domo Marchionis Rodolphi filii sui; manserit vacationi internæ intentus, & abstractus; & tam parcè locutus fuerit, & se ostentaverit, quam faceret minimus Frater Coadiutor in socium assignatus. Fuerunt illi actus mortificationis multo insigniores, quam si visita-

ſitationibus illis abſtinuiſſet, in exemplum profectò Religioſis, multum dignitate illo inferioribus; laudem mereri, non tantum moderatum eſſe in viſitationibus, verum etiam in uſu libertatis, quam exiſtimabat ſe dedecêre. Negotiis & commodis ſuorum propinquorum, etiam filiorum tantum ſuperſedebat, quantum ſibi licitum erat & poſſibile: multoque magis aliorum, quibus minus erat obſtrictus. Hinc factum quod cum verſaretur Bononiæ, & ibi curaret neſcio quæ, pro quibuſdam ſuis propinquioribus amicis, ſe oſtenderit tam ab illis alienum, ut ſcripſerit prudens quidam Religioſus, quod viderentur illi conſanguinei ſui adinſtar iſtorum, quos ſibi olim quidam Sanctus fabricabat, ex nive maſculos; & quod cum neceſſariis ſuis, & eorum rebus valedixiſſet, indicium eſſe videretur morientis in eo tam piæ, & præclaræ ex natura & virtute propenſionis; egentibus benefaciendi; quia cum eſſet Genuæ, & recurrerent ad illum egeni & calamitoſi, quorum multos reliquerat peſtis, ut ſua interceſſione impe-

impetrarent aliquod subsidium ab ejus propinquis, solebat illis magna cum commiseratione, & repugnantia dicere: *Fratres mei, non sum ego jam amplius is Antonius Iulius Brignole, qui fuit; non habeo apud illos auctoritatem. Non sum Dominus bonorum, & facultatum eorum. Tædet me ipsorum. Sed si meo consilio stare velitis, vos ipsi eos accedite. Si pii sint, & justi, vobis succurrent.* Displicebant illi plurimum tales interpellationes, quæ illi occurrebant pro rebus temporalibus vel amicorum, vel aliorum. Eaque de causa, atque ex aliis motivis, quæ aut per se, aut ex sua viva apprehensione, quando Genuæ degebat, vehementer eum affligebant; aut etiam ex virtutis dictamine, quod nullum posset amplius gustum percipere ex rebus fluxis, quas tam generoso animo aspernatus fuerat, dum mundo nuntium mitteret; tum etiam ut se prorsus liberaret ab affectu amicorum, & patriæ, valdè invitè ibi morabatur, quod quidem in pœnis annumerabat, & ita ei molestum erat, ut scripserit non semel esse se in perpetua inquie-

quie-

quietudine; quæ illi tollebat attentionem, & ſapidam applicationem erga exercitia ſpiritus, & ſurda quaſi lima vires corporis cum ſenſu aſpero atterebat. His tamen non obſtantibus tam erat ſui Dominus, ut quoties illi injungeretur Genuam ſe conferret, ſemper promptiſſime eo properaret; ſive ad verbi Dei prædicationem, ſive ad alia munia, licet ſentiret tantam repugnantiam ut diceret ſe malle proficiſci in Indias Occidentales; & vero ſerio cogitabat eas expetere: etiam ea propter, ne poſſet amplius mitti Genuam, & ſe tam magno locorum intervallo ſejungeret, ubi nihil novorum audiret, de illis, quæ tantoperè faſtidiebat. Sæpe ſæpius, ut minimum in mente verſavit cogitationes, ut efficaciter à Superioribus peteret, ſi ad gloriam Dei eſſet, permitterent ſibi ſemper degere quam longiſſimè remotum à Patria. Scribens ergo ad amicum conſilii gratia ita ait. *Secundum experientiam quam habeo, nullum aliud ſupereſſe mihi remedium reor quo jucundè vivere poßim: puta: quo longius abero Genua, tanto*

to plus lætabor. Loquor de lætitia quietis sensibilis. Quid jam melius est? an recusare fortè, an perseverare in ista cruce? quæ amaritudine afficit spiritum, & non potest non redundare in corpus: ut in me verum fiat illud: spiritus tristis exsiccat ossa: nihilominus sum paratus, & jugo obedientiæ actutum collum submitto. Et in alia epistola conjungens simul molestiam & resignationem, ita loquitur. *Contigit quod turbatus fuerit animus, ob certa quædam eventa quæ me vexarunt; ex quibus apparet, quod nulla re gaudere valeam quin semper interius affligi me sentiam, nisi sim longè Genuâ remotus. Usu didici id unicum esse remedium ad quietem; si illi tamen qui me gubernant, arbitrentur non esse consultum, ut illa fruar; persuadebo mihi Dei esse voluntatem, ut illam crucem feram, & humeros illi subdam; non tamen sine gravi sensu. Quia quantumcumque conor per partem Superiorem, voluntatem meam conformare divinæ; non possum equidem cohibere rebellionem partis sensibilis. Sed expeto aliorum precibus adjuvari, quo meæ molestiæ & labores non separent me à Deo, sed magis cum illo*

con-

conjungant. Ejuſmodi erat fortitudo animi in P. Antonio Iulio, quam non nemo fortaſſe parum exercitatus in ſoliditate virtutis, credet defectum exiguæ mortificationis, illam, quem Pater vocabat rebellionem partis ſenſibilis & turbationem animi. Verum ſi quis taliter ſentiat, recordetur Angeli Sathanæ, qui datus erat Apoſtolo, & teneritudinis Sanctorum in ſeparatione & morte ſuorum, quos efflictim diligebant: & facilè videbit, quod ſit diſcrimen inter apathiam ſtoicam, & mortificationem Chriſtianam, quæ non tollit ſenſum, ſed negat conſenſum: quanto enim acrius ſentit animus impreſſionem naturalis diſplicentiæ, tanto magis heroicam reddit fortitudinem. Non ſolum in ſuſtinendo ſenſualitatis impetu, ſed etiam in quærendâ ferâ illâ indomitâ, & provocandâ ad certamen. Poſt illam lentam quidem, ſed præclariorem victoriam quam de ſeipſo reportabat P. Antonius Iulius, videri potuit, minoris momenti, nonnullæ breves & actuales, quæ ſequutæ ſunt. Operæ pretium tamen erit

erit hic producere, quid post castigatum erga consanguineos & filios affectum fecerit, ut eum erga partus ingenii, & opera mentis, in quibus exantlandis se exhauserat, vel extingueret, vel refrænaret. Dum habitaret in Domo Professâ Mediolanensi, & diceret per Adventum, perierat ingens fascis scriptorum, quæ complurium annorum improbo labore collegerat, pro materia concionum. Obviam factus isthic uni è Nostris dixit, an ignoras infortunium quod mihi supervenit? cumque animadverteret eum compassione commoveri; sive ut se corrigeret, sive ut ostenderet se doluisse de re nihili, subiunxit: Cogita utrum debeat me pœnitere, qui quotidie me sæpius offero Deo in Sacrificium, & præsto sum pro illo mille mundos, si haberem, perditum ire, si Deo jacturam paucorum scriptorum devoveam? Et fuit sane mirum, quod de se tantum proferret: sed Deus posuit in ore ejus hæc verba, ut alter actus illos apprehenderet, quibus in se reflectebat. Deus autem contentus hac

hac reſignatione, ita ſuaviter res diſpoſuit, ut collectanea hæc fuerint brevi poſt reperta. Quid jam dicam de innumeris aliis ingenii ſui fœtibus, quos compoſuerat, & impigro ſtudio elaboraverat in ſæculo, eduxeratque ad tantam perfectionem, & elegantiam, ut calamus ejus famæ pennis pervolaverit ad celeberrimos ſcriptores Italos? Antequam Deo ſe arctius in Religione conſecraret, ſeverum de iis inſtituit judicium, & eos, qui prælo editi evaſerant rigorem ſuæ juſtitiæ, neque poterat recuperare, omnes exilio multavit & proſcripſit; & ut filios adulterinos, & abortivos execratus eſt, & publicè per omnia pulpita proclamari fecit, pro damnatis. Contra alios, qui illi ſupererant in domo, fulminavit cenſuram, ſi eſſent vel modica vanitate, & levitate aſperſi, ut igne abſumerentur. Tantum reſervavit pauculos, qui videbantur illi magis tolerabiles, erantque, prout ipſemet expoſuit Patri ſuo Spirituali, quem conſulebat in omnibus; quædam Satyræ morales, & ſex poëmata verſus heroici, mixti armis,

& amoribus; sed honestis; nec non quædam soluta oratione, in quibus erat quid Menippæum, & vitia perstringebantur; omnia Italicè conscripta, & hæc ipsa tamen quia erant illi suspecta, rogabat, quid iis esset illi faciendum? Ut autem ordinatius de illis judicari posset, quia prius non distinxerat benè in partes, quid illis fieri conveniret, chartæ commisit in hunc sensum. *Distinctionem, quæ circa illa scripta sumi potest, videtur mihi in tres partes dividi posse. Primo ut maneant, & retineantur prout sunt. Id autem nullo modo reor conducibile: eo quod non gesserim me in eis describendis, quæ vanitatem redolerent, ut à peccato excusari poßim, saltem veniali: Secundus modus est, ut omnia simul in unum cumulum congesta, Vulcano tradantur, quod esset Sacrificium absolute generosißimum, & Deo gratißimum. Et mihi dictat pars superior faciendum: verum enimvero se opponit natura, ne cògar prorsus destruere, quod mihi non parvo labore stetit: & fortè minus malum est, inter ea, quæ mea infirmitas committere poßit. Quin & incidit mihi dubium, an non,*

non, si ea retineam, poterunt mihi aliquando venire usui in rem bonam, & statui meo consentaneam; unde sensum haberem postliminio me ea concremasse. Tertia divisionis pars est, aliqua inde posse eximi, quæ mihi poterunt servire pro lectionibus Sacris, aut alia functione religiosa, & reliqua igni tradere. Hæc cum consignata à me essent in manus cujusdam, cui Superior judicium commiserat. In hoc ipso verebar inesse plurimum amoris proprii, & quod eo ipso tempore, quo poteram messem inferre in horreum Domini, tum me non impenderem rei, quæ ex radice sua esset prorsus Sacra & divina. Nullum tamen alterum intuitum admittebam, quam ad debitum, cui ex voto eram obstrictus; nempè ut unice respicerem ad hoc, quod judicarem ad majorem Dei gloriam, & bonum meum spirituale esse conducibilius; quod cum auxilio Domini accurate exequar, quia mihi decretum est obsequi Sanctæ ejus voluntati. Pater Spiritualis rescripsit: judico melius in Domino non destruere templa profana, sed convertere in cultum Dei. Huic rescripto acquievit, & adeo submisit voluntatem, & intellectum, ut postea

ne cogitaverit quidem de illis abolendis. Atque ita isti scrupuli manserunt sepulti, usque ad mortem in illius corde, qui eos absterserat. Hæc erat celsitudo animi, qua spectabat, imò dedignabatur res sibi maxime caras, non reservans sibi vel unum oculum solum; & perfectius ambos istos duos animæ devotæ convertens in beneplacitum Dei solius. Adeoque quemadmodum dicitur quod *Deus tranquillus, tranquillat omnia*, sic Dei servus tranquillus, ipse, habebat virtutem tranquillandi animos, & suam pacem communicandi aliis; ostendendo illis, quam viles & despicabiles sint res illæ, quæ perturbant, indignæ admitti à magnitudine animi Deo consecrati. Transibat aliquando Cremonam, & offendit quosdam in Collegio, qui inter se diffidere videbantur, sensit aliquam perturbationem, quia putabat inter Religiosos dedecere omnem alienationem animi, tamquam eam, quæ scintillam periculosam proiicere posset majoris passionis; unde incendium gravius alimentum sumere posset.

Quam-

Quamobrem, ipsè ex motivo charitatis ſe interpoſuit, ùt difficultatem conaretur ſuperare, ſtudens ex dictamine virtutis, unam partem alteri conciliare; & vero feliciter. Evenit enim P. Antonio Iulio quod fuerit inſtar roris placidi, qui mitigaret omnes paſſiones, dulcibus atque validis argumentis inſpirans animis ſpiritum charitatis & concordiæ, & deſiderium non perdendi ſummum illud bonorum, ob res nullius pretii, & contentiones frivolas. Confirmavit igitur in Sancto ſuo decreto illos, qui parati erant cedere: atque ita ſerenitas pacis reſtituta eſt, & exhortatus eſt ipſos, quemadmodum olim S. Barnabas, *in propoſito cordis permanere in Domino.* Atqui vim habuit ejus adhortatio ob opinionem, quam conceperant de ejus probitate. Ut autem adlaboraret ſtabilitati illius, quam procuraverat tranquillitatis; cum deinde perveniſſet Mediolanum, Superiores certiores fecit, quam laudabiliter ex virtute feciſſent illi, qui maluiſſent cedere, quam contentioſum funem trahere,

 mul-

multum illos deprædicans, quod postposuissent sua commoda caritati; Recepit dein ab iis litteras, quibus sibi congratulabantur, & multum sibi consolationis accessisse ex facto illo testabantur. Alia vice quidam Pater qui ægritudine animi laborabat, propterea quod alii ab eo requirerent rem, quam putabat à ratione alienam, & sibi in exequutione difficilem; adeoque non sine lucta superandam. Ivit quæsitum P. Antonium Iulium, ut solatium apud eum inveniret, & impetraret opem orationum ejus, in quibus multum fiduciæ posuerat, narravitque ei suam afflictionem, ejusque causam. E vestigio P. Antonius Iulius prorupit in hæc verba. *O mi Pater multum compatior illis sæcularibus, qui se vident intricatos angustiis, ob adversitates obortas in sua familia!* quo responso, etsi primo intuitu, desperato, ipsè valde caute, & prudenter tetigit concentum organi, quod facilè possit dissipare phantasiam Religiosorum ex consideratione, quam sint parvæ eorum tribulationes, si comparentur cum iis,

quas

quas patiuntur mundani homines. Poterat certe apud Patrem iſtum eſſe vice modeſtæ correptionis, licet iſtis verbis non intentæ. Quippe habebat parentes neceſſitate & penuria preſſos, quos P. Antonius Iulius aliquando magnâ Charitate ſublevaverat. Attamen paſſioni Patris applicabat, proprium & opportunum, & efficax, & leniens pharmacum, ſi quidem ſatis erat videre quam eſſet compoſitus, & in ſuis paſſionibus domandis eſſet eruditus, ut in aliis eas moderaretur. Atque hæc ſunt pauca illa indicia, quæ ſunt obſervata, ut mortificatarum in eo paſſionum notitia extaret.

Verum cum ſint paſſiones omnes, quaſi impetus & operationes, quantumcumque ſint refrenatæ, mortificatio earum non poteſt tam in faciendo cognoſci quam in non faciendo: in quo concordat, univerſale, teſtimonium eorum, quæ in P. Antonio Iulio comperta ſunt. Ipſe enim noverat cum tanta ſolertia cohibere illos ſuos motus, ut numquam percipi poſſet, vel minimum eorum murmur intus,

vel minimus sibilus foris. In Cholera quis illum vidit umquam, vel motibus qui imprudentibus suboriuntur, & vocantur à Theologis primo primi, utpote judicium rationis prævenientes? Quando umquam se ostendit involutum sermonibus recreationis, cibi, & potus, commoditatis, satisfactionis non solum superfluæ, sed etiam congruæ & necessariæ? Quibus umquam se ostendit offensum? quando verbis negantibus, tergiversatione, significatione alicujus tolerantiæ perturbatum se prodidit? Quando umquam questus est de doloribus, itineribus, cubiculo, morbo, quælibet res ei sufficiebat: omne cubiculum commodum, omne edulium sapidum, omnis functio arridens, omne consortium dulce, omnis provisio abundans illi erat. *Sedebat solitarius & tacebat, quia levaverat se super se.* Vix audiebatur nisi in suggestu, sicut David sapientissimus in cathedra, sed extra eam in suo angulo *tenuissimus ligni vermiculus.* Quæ moderatio sui velle, & modestia in agendo, fecerunt

runt illum magnum & celebrem coram Deo, & mundo: eòque non potuit pervenire, nisi acquisitione laboriosa, & generosa mortificatione, ac Dominio perfecto omnium suarum affectionum.

CAPVT XI.

Mortificationes corporales P. Antonii Iulii.

VT transeamus jam à mortificatione spiritus ad mortificationem corporis; magna admodum fuit animositas, quâ usus est in tractando corpore cum summâ austeritate; cujus affatim habuit copiam in variis tolerantiæ occasionibus, aliis quidem compluribus Religiosis communibus, & usitatis; sed in illo cumulatis & geminatis ob circumstantias peculiares, per quas Christus Deus, & Dominus noster eum dignum faciebat duplici honore in patiendo pro ejus amore, Interea quo se fatigabat *in verbo & doctrina*, affligebat se geminatè in laboribus

vel minimus sibilus foris. In Cholera quis illum vidit umquam, vel motibus qui imprudentibus suboriuntur, & vocantur à Theologis primo primi, utpote judicium rationis prævenientes? Quando umquam se ostendit involutum sermonibus recreationis, cibi, & potus, commoditatis, satisfactionis non solum superfluæ, sed etiam congruæ & necessariæ? Quibus umquam se ostendit offensum? quando verbis negantibus, tergiversatione, significatione alicujus tolerantiæ perturbatum se prodidit? Quando umquam questus est de doloribus, itineribus, cubiculo, morbo, quælibet res ei sufficiebat: omne cubiculum commodum, omne edulium sapidum, omnis functio arridens, omne consortium dulce, omnis provisio abundans illi erat. *Sedebat solitarius & tacebat, quia levaverat se super se.* Vix audiebatur nisi in suggestu, sicut David sapientissimus in cathedra, sed extra eam in suo angulo *tenuissimus ligni vermiculus.* Quæ moderatio sui velle, & modestia in agendo, fecerunt

runt illum magnum & celebrem coram Deo, & mundo: eòque non potuit pervenire, nisi acquisitione laboriosa, & generosa mortificatione, ac Dominio perfecto omnium suarum affectionum.

CAPVT XI.

Mortificationes corporales P. Antonii Iulii.

VT transeamus jam à mortificatione spiritus ad mortificationem corporis; magna admodum fuit animositas, quâ usus est in tractando corpore cum summâ austeritate; cujus affatim habuit copiam in variis tolerantiæ occasionibus, aliis quidem compluribus Religiosis communibus, & usitatis; sed in illo cumulatis & geminatis ob circumstantias peculiares, per quas Christus Deus, & Dominus noster eum dignum faciebat duplici honore in patiendo pro ejus amore, Interea quo se fatigabat *in verbo & doctrina*, affligebat se geminatè in labori-

bus numquam intermissis concionum, cum exactissima obſervantia regulari. Moleſtias itinerum exhauriebat cum incuria ſibi conſulendi. Accedebat debilitas valetudinis cum abſtinentia recreationum & quietis ſubtractione. Aſperitas paupertatis cum rigore gaudebat ſe cruciari. Incommoda quæ ſubibat non permittens ſibi miniſtrari, in ætate matura & ſervitiis diuturno jam tempore aſſueta. Quæ tractatio perſonæ, quam diu patienter toleraverat etiamſi alia non jungerentur, poterat illi conciliare æſtimationem, viri, qui ſpiritu præditus eſſet non mediocris pœnitentiæ. Hæc tamen quia non adeo apparebant foris, tantum laudem communem ei provocabant. In particulari vero in profectionibus quas tam crebro confecit, tempeſtate anni maximè inclementi, exempli gratia, menſe Ianuario, quando in more poſitum eſt Concionatoribus Italiæ ſe transferre à Natalitiorum concionibus ad pulpita Quadrageſimæ; tanta cupiditate ferebatur patiendi, & incommoda ſubeundi, ut peiora ſemper ſibi

ſibi ſumeret in proviſionibus, & viatico; in vectura æquorum & mulorum; in hoſpitiis, in lectis, & victu. Et tamen in itinere quod fecit Genuâ Lucam, cum, ſe coram, ſocii ſermocinarentur, de incommodis quæ ſubire oporteret viatores, reſpondit ipſe ſe numquam talia expertum: & ſpeciatim quod numquam ſibi obtigiſſet equus meritorius malus, & difficilis inceſſus. Quod cum omnes in admirationem raperet, non ſciebant cui tribuere cauſam, niſi vel ſolatiis quibus à Deo intus inter patiendi occaſiones præveniebatur; vel animi ejus magnitudini, cui exiguum erat quidquid toleraret moleſtiarum, & expetebat plures, quamvis aliis nimium multæ viderentur. Equidem in ſuis iſtis patientiæ exercitiis non eſt diſſimulandum, quam virtus ejus eſſet induſtria & ingenioſa: illud etenim quod faciebat ex intentione patiendi, ut multis in caſibus peculiaribus fuit obſervatum, tegebat tali larva inadvertentiæ, ut tribueretur genio cuidam oſcitantiæ, & eſſet in opinione, quod neſciret illa curare,

rare, & apprehendere. Id quod illi proderat non ſolum ad hoc quod intendebat, nimirum ad theſaurum ſuum ſubducendum periculo, eum non ferens *publicè in via* graſſatorum oculis expoſitum: verum etiam ad illud quod nolebat; ne videlicet materia patientiæ ſubtraheretur: Etenim quanto minus ſibi proſpiciebat; tanto magis conformiter ad rectam regulam Charitatis Superiores invigilabant ut nihil illi deeſſet, ad lecticam uſque, quando neceſſarium judicabant; & ſocios qui per viam non tantum ei ſervirent, ſed etiam regerent in iis, quibus opus habiturus eſſet: Idque declarabant diſertè Superiores in digreſſu: cum auctoritate, quà, ut iſti gubernationi, & commodo de quo multum dolebat, acquieſceret; quà induſtriè prætexendo, non fieri hoc ejus cauſa, ſed ob alium finem. Quemadmodum quando poſtremum ibat Genuam ad dicendum, junctus fuit ſub alio titulo ei comes Pater quidam commendatus à prudentia & Charitate; eique ſerio inculcatum, ut non pateretur eum quidquam in-

incommodi perferre in itinere, & ita eum moderaretur, ut vires integras illi servaret; quæ laboribus quadragesimalibus sufficerent. At P. Antonius Iulius spiritum illum ardentem pœnitentiæ, qui eum à mundo convertit ad Deum, atque etiam demum in sæculo eum repleverat odio sui Sancto, numquam minus cessabat ventilare, & animare & impellere nescio quem fervorem usque ad judicium excessus, quo patefaceret, quod cruciatus & molestiæ vitæ religiosæ, & prædicationis Evangelicæ, essent deliciæ animarum Innocentium; ad quos ipsum oporteret adiungere asperitates animarum pœnitentium. Atque ita sæpius confidenter quasi scrupulum cuidam amico ex Patribus suis Spiritualibus aperuit, multum se vexari à formidine, quæ eum invaserat, quod nimis raras & parvas assumeret pœnas, nimisque lautè haberetur; dicens quod moderatio in communi præscripta per regulas nostras, locum relinqueret adjungendi illas, quæ conducerent personis particulariter illo subsidio egentibus:

tibus: qualem ipse se censebat esse. Unde petebat multas à Superioribus suis & exercebat omnes, quæ illi permittebantur.

Ex illarum genere, quia sunt clam exercitæ, multæ in obscuro latent; nec in cognitionem nostram devenerunt; & multo minor earum exstaret memoria, nisi aliqui Superiores videntes viribus imbecillem, sed animis vividum, ut opera metirentur non ex conatibus, sed robore corporis, per intervalla eum interrogasent quas pœnitentias faceret? eum adjurantes, ut ex fide sibi eas exponeret: & ille ea sinceritate & obedientia quam deferebat illi, cui loco Dei se sciebat obnoxium, ut divinæ voluntati obsequeretur, eas conjecit in chartam. Quarum aliqua folia post mortem ejus inventa sunt penes Superiores. Ex illis compertum est, quod initio vitæ religiosæ plus ejus fervoribus indultum fuerit: Verum ætate crescente, & viribus debilitatis, visum est Superioribus illos accidere multum, unde in ultimo autographo quod ab eo postulatum

tum eſt menſe Novembri Anni 1661. paucis menſibus ante obitum, dum prædicaret Adventum Mediolani, annotatæ inveniuntur pauciores auſteritates corporales, quam in aliis anterioribus; Ejuſmodi tamen, & tam magnæ in homine ſene, & exhauſto, ut neceſſe fuerit, & illas ad moderationem revocare, poſſuntque in exemplum, & pro ſtimulo proponi junioribus, qui intuitu ejus ſunt otioſi, & pigri, & ſibi nimium indulgentes. Ac primò quidem ad actiones orationis mentalis & vocalis, adjungebat de ſuo pœnalia opera ſitus, quæ efficacia forent ad augendam devotionem intimam & afflictionem extimam. Qualia erant ſe pronum abiicere in terram, linguâ ſua in pavimento formare cruces & brachiis extentis Chriſtum in ea extenſum figurare, facere per horam meditationem (dicit ipſe in ultimo illo folio) de genibus, ſine ullo ſuſtentaculo cui inniteretur, in qua poſt primam mediam horam (res quæ videtur impoſſibilis) altera media hora modo perdurabat brachiis in modum crucis

pro-

protensis, modo lingua solum cruce signabat, modo prosternebat se in terram; quæ tamen subinde omittebat. Iisdem illis actibus secundum mensuram temporis quod dabatur, condiebat aliam mediam horam orationis mentalis, quam faciebat quotidie; quarta parte horæ, quam impendebat gratiis Deo agendis post Sacrificium Missæ, examini conscientiæ vespertino, stationibus obeundis, & aliis orationibus vocalibus per diem occupatus, semper brachia in formam crucis habebat distenta, & subinde terram osculabatur. In quibus occasionibus fuit quandoque casu deprehensus inadvertenter retinere signa in fronte & vultu terræ appressæ, & diu adhærentis. Officium divinum non interrumpebat talibus molestiis, sed totum recitabat genuflexus, nulli rei innitens: ut observatum fuit etiam Lucæ quando incipiebat convalescere aliquantulum ex diuturno malo tibiæ quo laboraverat. Solis Dominicis dabat requiem suis brachiis, ne extenderet crucis more in oratione: prout consuerat

ſuerat per plures annos aliis diebus facere: quibus aſserebat nullam noxam per eam vexam adferri ſanitati; quin imo multum ſpiritui accedere adjumenti. Cum eſset ſæcularis, genibus nudis fundebat bene multas & longas preces in ſolo duro & aſpero; adeo ut ſibi contraxerit plagas & vulnera, quæ illum ad curationem lecto affixerunt; nec amplius illi deinceps libertatem reliquerunt, ita ſe cruciandi. Videtur tamen quod Deus in vicem illi ſubmiſerit illam ægritudinem tibiæ, qua diu, multumque fuit vexatus, cum intumeſceret non ſine magnis doloribus; potiſſimum cum Lucæ concionaretur, ubi ſummè ædificavit cum Dominum Decanum Sancti Michaëlis, ſummum amicum Patris, totiuſque Societatis, cujus in domo morabatur; tum totam ejus familiam, ſingulari ſua patientia, quâ totis diebus immobilis permanebat in ſedili, elevatis pedibus, ad impediendum concurſum humorum ad partem affectam defluentium; aut ad minimum quo poſset quotidie concionari, ut fecit. Verum ultra hæc

conſtitit illi curatio illius mali multis purgationibus, balneis, & aliis medicamentis, quibus Deus ei lenocinabatur ut ſolet facere ſuis amicis.

Diſciplinæ initio quando primum ſe dedit Deo, erant tam atroces, ut magna copia ſpargeret ſanguinem; & Domina ejus Mater dicebat, quod tota inhorreſceret cernens ſubuculas, interulas, & alias veſtes interiores horrendè cruentatas. Idem illud aſperum regimen ſuæ carnis proſecutus eſt in Religione, tam crudeliter in eam deſæviens, ut Fratres Coadjutores qui lineas veſtes colligunt, deprehenderint delibutas ſanguine: ac in Novitiatu & aliis Collegiis & domibus putarint ſe obſtrictos, ſuperiores de tota hac laniena certiores facere. Undè ſecuta moderatio, non tamen tanta, quin perſeveraverit diu ferè uſque ad mortem in conſuetudine ſe flagellandi tribus, imò quinque vicibus, ſingulis ſeptimanis, per illud ſpatium temporis, quo illi erat permiſſum, faſſus ſe recitare tam tractim, quam poſſet, illos Pſalmos *Miſerere* qui erant ei aſſignati

ad

ad menſuram. Communiter deinde adiiciebat ex devotionibus peculiariter aſſumptis, quandoque triginta tres alias diſciplinas, ac ſimiliter alias auſteritates eodem numero ſingulis annis, & alias diverſi numeri ſecundum devotionem, qua utebatur ad impetrandam à Moderatoribus extraordinariam licentiam ad pœnas, præter ſtatas, ſibi infligendas; nec poterant ejus fervori denegari; cenſeri tamen debebant artificioſæ, ſubreptitiæ & furtiuæ. Nec minorem uſum habebat ſe macerandi cingulis ferreis mirificè aculeatis, quos pluries per hebdomamadem ordinariè geſtabat, præter vices, quibus extraordinariam ita ſe affligendi poteſtatem ſibi concedi deposcebat. Adeoque qui præerant in concedendo parciores erant, conſiderantes quam exesâ eſſet carne, exſuccus, macilentus, exhauſtus, & ita extenuatus, ut ipſemet ſibi compateretur: quia ſuo ſe Superiori manifeſtans quoties veſtitus in nudis aſſeribus dormiret, quod ſæpenumero faciebat, ſubjunxit: *Quantumvis macilentia me co-*

gat asseribus insternere pallium, aut vestem aliquam crassiorem; alias dolor ossium non sineret me dormire. Et tamen, licet in sæculo illum rigorem quietis sine quiete usurpasset; non poterat tamen sibi temperare, utcumque labores diurni in Religione accessissent continui, & ætas & extenuatio. Quin ad minimum sibi in fine vitæ à P. Provinciali veniam postularet dormiendi vestitum, bis per septimanam, adjungens; *non in asseribus, quia durante hac mea macie, timeo ne mihi nocerem, sed super culcitra.* Cum autem & hoc illi esset negatum, modum adinvenit quo lectum communem redderet incommodum & dolorificum; uti fecit anno integro nominatim Mediolani, ubi dum degeret, & hyems ea tempestate esset acerbissima, & ipse indispositus ac multum exagitatus frigore diurno; voluerunt Superiores, ut lectus calefactorio prius illi calefieret, verum tot precibus & rationibus ingeniosè prolatis institit, ut obtinuerit totâ hyeme facultatem lecto frigido se immittendi.

Cæte-

Cæterum pœnitentiarum ejus ſitis omnium maximè ſe prodidit in cibatu. Quando extra ſolemne jejunium accumbebat in refectorio communi, ipſe quidem induſtriè abſtinentiam ſuam in ſumendis cibis diſſimulabat, quo oculos aſſidentium falleret; attamen non poterat tanta cautela uti in occultando, quin fuerit obſervatus & moniti Superiores. Sicut uno die Veneris Parmæ contigit, ubi viſus fuit comedere tam parum, ut reflecteret qui miniſtrabat menſæ, & P. Rectorem certiorem redderet. Ille præcepit; rediret ad menſam, & de novo pranderet; quod fecit ſuaviter ſubridens. Iſtam virtutem abſtinentiæ jam tum quoque exercuerat in ſæculo: adeoque dum eſſet Romæ tempore Anni Sancti in domo ſui Nepotis, qui tum erat Prælatus in aula Pontificia, ut ſe ſubtraheret à cibis menſæ aliàs frugalis, & ſua jejunia ſubduceret cenſuræ domeſticorum; prætexuit, neſcio quam cauſam edendi privatim in cubiculo, & mandatum dedit nihil ſibi pararetur præter panem & juſculum

commune: quâ refectione compluribus diebus contentus ibi victitavit; oportuit autem ei in hoc obsecundare, ne reciperet se alio, ubi liberius fervoribus suis fræna laxaret. In Religione vero abstinentiæ ejus erant tantæ, quantæ permittebantur. Et ut erat ingeniosissimus in modis excogitandis ad petendum & obtinendum: semel ab uno Superiore impetraverat plenam facultatem faciendi circa victum quidquid sibi videretur: eo quod polliceretur, cohibiturum se intra eos terminos, quibus non læderet sanitatem. Sed æquè periculosus judex est ejus quod prodest quam quod nocet valetudini, qui summo odio contra gulam unâ & summo affectu erga abstinentiam agitatur. Suo ergo arbitratui relictus, ut postea revelavit, fixum habuit ordinariè jejunare diebus Mercurii in pane & fructibus; Veneris in pane & vino. Sabbatho prout consuetudo ferebat, ita tamen, ut sibi interdiceret, uno genere cibi solito dari tali die; causatus ab illo stomachi abhorrescentiam. *Non tamen hic mos*, inquit, *dura-*

duravit longo tempore, quia Superiori fuit indicatum me varia edulia omittere. Voluit ergo à me distinctè intelligere, quid facerem? Etiamsi autem illi dicerem, non sentire me dispendium; & revera videbatur mihi ita se rem habere; voluit tamen ut diebus Mercurii & Veneris tantum portionem relinquerem. Ergo in ista Novena Virginis Deiparæ, in qua feci hanc relationem, fateor me non nihil amplius sumpsisse, sed admodum parum id fuit, & expertus sum id mihi potius profuisse quam nocuisse. Superioribus postea consilium fuit non solum in illum animadvertere, quando degebat in nostris domibus; verum etiam, & fortasè diligentius, quando versabatur in itineribus, & hospitabatur tempore concionum in Episcopiis, aut aliorum domiciliis: ac propterea quando Genuâ Lucam abibat prædicatum, P. Præpositus accerciri curabat quemdam Patrem è tertio probationis anno, qui esset illi socius, & injunxit, ut in rebus valetudinem concernentibus P. Antonius illi obediret; quod si obvenirent illi quidam fervores non communes, & desideria in

rebus potissimum quæ poterant esse consequentiæ; semper communicaret cum illo, & exploraret ejus judicium. Quod humillimè executus est. Et quidem quamvis libertas illi sublata esset, per quam indiscretionis subiisset periculum; non destitit tamen deposcere, & obtinere abstinentias aliquanto moderatiores, in quibus visus est cum notabili frequentia continuare, existimans sibi licitam quamdam speciem epikiæ, multum diversam ab ea, quâ subinde alii obsequuntur suis sensibus: eratque hæc: quod elicita quadam licentia ex ore cujusdam Superioris, ea uteretur adhuc dependenter à consensu alterius, cujus directioni erat commissus; susque deque habens utrum mutatæ essent circumstantiæ laborum, debilitatis, & aliarum occupationum ac temporum, quas alius requireret; sed tantum considerans quid esset de novo observatum & moderatum.

Porro is qui genium suum ita fraudabat in victu ordinario & necessario, facilè est colligere, quanto minus sensibus obsecundaret in iis quæ lautitiam

&

& delicias præferrent. Si mensæ inferretur cibus aliquis delicatus, forte in eleëmosinam submissus; statim illum Deo donabat. In eduliis communibus, si quidquam erat in totum aut ex parte melioris conditionis, ex toto vel ex parte non tangebat. Illud quod dari solet supra reliquos Concionatoribus, tamquam necessarium ad restaurandum exhaustas vires; quasi superfluum ferè semper intactum remittebat & inviolatum. Vix venerat Cremonam ad prædicandum; quam mox flagitavit ne quidpiam sibi apponeretur vel amplius, vel diversum à communitate. Cum postea transtulisset se ad Episcopium, ut per quadragesimam ibi habitaret; patravit mirabilia in omnibus, quæ austeritatem vivendi quam servabat: quippè per puram necessitatem & obedientiam attinent. Coactus vesci carnibus, non voluit plus sibi in mensa dari, quam tres aut quatuor uncias, cum jusculo sine sale, & modicum postpasti. Vesperi autem pro cœna non admittebat nisi pulmentum aliquod quod desiderabat esse ex pane

aqua macerato confectum nullo condimento Salis adhibito, ut plus insipidum esset. Lucæ testatur Socius, quod noluerit esse singularis in quærendo, ut sibi apportaretur hoc vel illud obsonium, quantumcumque parum videretur. Sed ex iis, quæ vel Medici, vel socius curaverant illi apparari, sumebat semper pessimum, & in tam parva quantitate quam fieri poterat. Ea propter socius, qui illi adhærebat per quadragesimam in Episcopio Cremonensi, dixit eum sibi visum perpetuum miraculum, quod tantillo cum cibo par esse posset laboribus concionum, quas faciebat tantâ cum alacritate & contentione, ac si fuisset homo validus & robustus. Multo magis recusabat omne genus lautitiarum, quæ offerebantur tam à nostris, quam ab extraneis. Exemplo sit, quod cum Festo Sanctæ Catharinæ Parmæ exhortationem habuisset in Collegio Nobilium, invitatus ad prandium noluit ire; & patinam honorariam, quæ illi fuit missa ad Collegium Sancti Rochi, cum illi apposita esset, reliquit illibatam.

tam. Sæpius de illo quæſta eſt Domina Maria Magdalena Durazzo, ejus Soror Germana, quod cum voluiſſet illi dare aliquantum ſacchari roſacei, aut quid ſimilium confectionum, quibus valetudo ejus egere videbatur, ſive multum illud eſſet, ſive parum; ſemper rejeciſſet; quaſi monſtraret ſe dedignari tales reculas minutiores, ſed revera non erat niſi heroica accuratio, ob quam deliberatum illi erat genio nil indulgere, quod delicias præſeferret, quantumcumque exile. Ut illi ſubminiſtraret pocillum electuarii, una cum quatuor roſariis, opus fuit tradere Socio occultè deferenda, & per Superiorem adigendus, ut acceptaret. Numquam tamen voluit illa admittere, niſi in uſum aliorum. Poſset videri cuipiam eſse ſaltare extra orbitam, ſi hoc loco dicerem, numquam conquæſtum eſse de obſoniis, numquam auditum fuiſse aperire os ſuper cibo bene, vel male apparato, aut quod parva fuerit habita cura ſuæ ſanitatis tam labefactatæ. Quam ſæpè tamen hoc monſtrum in Religioſis perſonis,

ſe-

ſe prodit; quod cum gravi ſenſu priventur eo, quod habent; & cum paſſione murmurent ſibi deeſse, quod non habent. Quam longè aberat ab hac illuſione P. Antonius Iulius! numquam deſiderabat habere, ſed ſemper non habere, quod carni, & palato blandiretur.

Omnis ejus quærimonia erat de pœnitentiis, quas credebat ſe poſse ſubire, & tamen illi à Superioribus vetabantur; apud quos aſſiduè inſtabat, nec deſiſtebat, licet ſæpius repulſam paſsus, ut ſibi in eo ſatisfaceret, ſicut olim dicebat B. Aloyſius Gonzaga, quod ſibi ipſi non defuiſset. Suo Magiſtro Novitiorum narrabat frequentia jejunia, quæ in ſæculo peregerat in pane & vino, nudos aſseres in quibus ſomnum ceperat, & alias ſpecies aſperitatum, quibus ſe afflixerat; ut perſuaderet ſibi adhuc vires iis pares ſupereſse: illique exercendis licentiam extorqueret. In illo autographo, in quo paucis ante mortem menſibus declaravit (ſicut dictum eſt) P. Provinciali cupido reſtringere Pœnitentias quas

quas faciebat; tantum abest ut cogitaret debere eas diminui, quod postquam exposuisset voluntarias istas pœnas, quas assumebat, subjunxerit: *Cum ita se res habeat, quod per illas pœnas nullum corpori dispendium accersam; videtur mihi, postquam vires meas mensus sum, probabile esse; sine detrimento sanitatis posse me aliquanto pluries, pœnitentias enumeratis adjungere.* Petiit ergo quinies per septimanam se flagellare; tertio aut quarto catenulis se, aut cilicio constringere; dormire vestitum; tribus vel quatuor diebus jejunare; & aliquot in pane & vino; allegans experiri se nihil magis sibi conducere, quam sobrietatem; quibus rationibus addebat inflammatas preces, ut sibi concederentur; multoque magis ne acciderentur illæ austeritates, quas faciebat, onerans conscientiam Superiorum damno Spirituali, quod incursurum se putabat ob nimiam indulgentiam. Undè in alio folio ejusmodi postulationum ita concludit: *Si R. V. velit aliquid pœnitentiarum defalcare, considerandum relinquo: quod quantum attinet ad*

ad partem corporis, pro certo mihi persuadeam; si desinam facere sicut usque modo feci, notabiliter spiritum debilitandum; nisi hoc modo per pœnas excitetur. Etenim hæc est mea miseria, quod nisi sicut cœpi, integrum eum conservem; exponar præsentissimo periculo, post primum passum, quo retrogrediar; secuturos multos. Præterea sensibiliter mihi impressum habeo, quod paucæ illæ mortificationes me facient minus tepidum, & interius distractum; quin imo occasio erunt ut ministerium verbi Dei obeam majori cum alacritate, & puritate intentionis, ac zelo salutis animarum, gloriæque divinæ; quod utique sperandum non est sine illis. Ab eo tempore, quo multis austeritatibus jussus est supersedere, & ipsemet cognovit se non posse eas assumere; studuit supplere hunc defectum aliis mortificationibus, ex illarum genere, quæ non incurrebant in oculos, ut prohiberentur; vel non nocebant corporis sanitati; attamen animæ cupiditatibus non minus erant acerbæ. Quomodo in eo se gereret assequi possumus è quibusdam suis propositis, quæ scripta reliquit, & ita sonant:

nant : *Nunc cum deinceps non poßim pro meis, tantis & tam gravibus peccatis, facere pœnitentias majores ob corporis imbecillitatem; dabo me ſtudio abnegationis mei ipſius, in rebus glorioſis, & permittam me ſuperari in contentione ingenii: quia licet hoc quoque debilitet corpus, nihil obeſt quo minus hoc faciam: tot enim mea delicta traxerunt originem ex radice propriæ exiſtimationis :* & alio in loco hoc firmat dicens. *Si non poſſum, quæ deberem perferre, ſtante hoc mei corporis languore; quare non patiar ad minimum ubi poſſum, & patiendo non officiam valetudini? In laudibus meis reiiciendis, permittendo me vinci ubi certamen erit de ingenii præſtantiâ, omittendo conceptus in concionibus magis argutos, & plauſibiles, quam utiles; relinquendo cibos delicatiores & ſapidiores: &c.* Quæ quam ſtudiosè impleverit & ex animo à ſe impetraverit, norunt illi, quibuſcum convixit, & ea quotidie videre potuerunt.

Itaque non contentus refrænatione gulæ in ciborum abſtinentia, juxta celebre monitum S. Bernardi, cogitavit progredi ad mortificationem ingenii,

nii, & aliorum appetituum. Vnus eorum fuit erga Musicam, in quam propendebat ex naturæ genio, & habitudine ad perfectionem formata, ob peritiam artis, proinde subsidio cantionum spiritualium elevabat cor suum ad Deum, replebatque affectibus sanctis. Et quidem dum esset Romæ itabat libenter ad Oratorium S. Philippi Nerei, ubi exercitia miscentur modo concionibus, modo musicæ modulationibus devotis. At recordatus quod in annis juvenilibus deliquisset, ea abutendo ad quampiam vanitatem; cogitatio subiit, eâ prorsus abstinendi ad castigandum priorem defectum. Sane ibi Romæ consuluit Professorem Religiosum, utrum consultum illi esset se in eo mortificare, & voluptate illa innoxia se privare; de quo illi tum inciderat dubitatio. Postea fervor ejus quotidie incrementum sumens, eam sustulit, & certum reddidit fore hoc Deo gratius; atque ita fecit, uti repertum est in uno dictorum foliorum, ubi infit: *Me summe recreat Musica, sed quia mihi servivit in sæculo pro uno ex instrumentis, quibus offendi*

di Deum; ſtatui me in ea mortificare non accedendo loca, ubi ei intereſſem, ne quidem quando fit in noſtra Eccleſia. Nec ſolum privabat ſe ea modulatione, verum etiam domeſticâ recreatione, quæ erat illi dulcior harmonia, quam muſica; quia multum delectabatur converſatione religioſâ: ideoque in ſæculo ſæpè ſæpius adibat cœtus religioſos, ut eorum Societate frueretur: quin imo compluribus diebus apud eos perſiſtebat, ut talentis eorum ſe paſceret, & proficeret in virtute, ac doctrina. Coërcebat tamen illam ipſam relaxationem tribus illis diebus, quibus per ſeptimanam jejunabat, abſtinens conſentientibus ſuperioribus ab ordinariâ recreatione; quamvis non diu hoc illi licuerit; quippè præterquam quod ſalubre ejus valetudini eſſe non poterat, confeſtim à ſumpta refectione ſe ſubducere ad ſeria peragenda; redundabat in præjudicium aliorum, quibus erat delectabilius omni Muſicæ concentu commercium P. Antonii Iulii, acceptum æque ac utile, ob amabilem ejus, & religioſè compoſitum mo-

dum agendi. Ipſe vero inſuper ut minimum egebat communi recreatione, quia reliquo tempore erat ita abſtractus, & ſolitudinis amans; ut niſi in cubiculo ſuo vel templo, nullibi umquam reperiretur. Cubiculum illi ſerviebat ad devotionem magis collectam, & internam vacationem; ad parandas conciones; & ad incommoda, quæ variæ tempeſtates anni cauſant toleranda. Illâ æſtate, quâ de bona Morte ratiocinabatur Genuæ, habebat cubiculum calidiſſimum, licet in eo totis diebus ſtudiis ſe occuparet. Repertus ibi per intervalla à quodam Patre, & interrogatus, qui poſſet iſthic tam diu perdurare; cum alii qui verſabantur in cubiculis minus moleſtis, ab æſtu iis expulſi, diſcurrerent per domum, alibi quærentes aliquod refrigerium: reſpondit, quod potius inde ſentiret levamen; etenim cum conſueſſet multum pati à frigore, calore illo refocillaretur, & novum hauriret vigorem; & utcumque guttæ ſudoris craſſiores ſtillarent à fronte, vendebat tamen illas pretio gemmarum ingentium:

tium: Quia per illas comparabat tantam & tam ingentem copiam animarum conversarum, & meritis cumulatarum, quas Deo lucrabatur.

Aliarum Mortificationum publicarum complures faciebat in culina & Triclinio, ubi non solum erat accuratus in ministrando & lavando diebus assignatis (volebat enim juxta alios nomen habere in tabula, & aliis in iis ministeriis esse æqualis, sine ulla exceptione: Imo etiamsi concionandum illi esset, neutiquam se excusabat, ne quidem diebus, quibus dicebat) sed insuper obibat functiones illas viles, sordidas, & molestas cum impigra applicatione, diligentia, & desiderio patiendi, & in iis se fatigandi. Fratrem autem illum qui solet monere, quando à lavando cessandum esset; impensè rogabat, ne se missum faceret, sed quam tardissime abeundi potestatem daret; & dicebat magno cum affectu: sibi margarita cariorem esse quamlibet lancem, quam pro amore Dei sibi purgandam daret, nec voluisse pro omni auro mundi perdere quæstum similis

 diei.

diei. Tanti faciebat valorem operum pœnalium, quæ Christus Dominus noster suo exemplo reddidit pretiosa. Adhæc multoties cernebatur in medio refectorii comedere in terra; & in exercitiis ejusmodi mortificationum eligebat semper situm corpori molestiorem. Si illi à Superiore negarentur, tamdiu manebat de genibus supplicans, ut, ne contristaretur, opus esset illi permittere. Et fuit profecto rarum exemplum in isto, quà propter frequentiam, quà propter humilitatem, quam in eo prodebat. Numquam illi venit in mentem esse similia exercitia magis juvenum, quam viri quinquagenarii: quin potius è vestigio advolabat ad tales actiones cum junioribus; & in quibusdam locis, ubi non est moris eas obire, nisi ad primam mensam; quando venire tum non poterat, obtinebat, ut faceret etiam solus in secundâ. Denique tam altè imbiberat istum spiritum mortificationis ut non solum in his & aliis operibus perpetuo illum manifestum faceret, verum etiam ex plenitudine cordis redundabat in verba:

proinde — ſemel cum eſſet in Noviziatu, diſcurreretque cum Tyronibus de virtutibus B. P. Franciſci Borgiæ, cujus eo die feſtum celebrabatur: multum extulit in illo ſpiritum ejuſmodi mortificationum, & dixit: Ecce quomodo Sanctus ille Pater impellebatur ad pœnitentias; & nihilominus aliqui mihi inculcant, oportere me in illis circumſpectum eſſe, & magis moderatum; & concludebat, cum ſignificatione magni ſenſus: quod omnes Sancti per iſtam viam tranſiverint, eamque eſſe prorſus tutam & ſecuram.

CAPVT XII.

Rigida Paupertas P. Antonii Iulii.

Materia pœnitentiæ omnibus numeris abſolutæ, ſecum infert Paupertatem Chriſti. Cum igitur P. Antonius Iulius fuerit tam ſollicitus ad procurandam materiam aliunde, non fuit ſegnis in hac concupiſcenda, quæ ex paupertate illi in manus deferebatur. Erga quam demum in ſæculo,

Deus illum ſenſim diſponens ad virtutes religioſas, indiderat magnum affectum; & idipſum monſtrabat non ſolum exhauriendo ſe largis eleëmoſynis, quas ſine modo erogabat; ſed etiam eam amplectendo, ut ſponſam, & in ſeipſo laudabiliter exercendo. Ex illo enim tempore ſatagebat geſtare veſtes, chlamydes, & pileos attritos & labefactatos ex vetuſtate; & ſe oſtentare tam abjectè more pauperum indutum, ut dictum eſt. Et Genuæ quidem, ubi ad Senatoria ſubſellia evectus fuerat, cum eſſet filius Ducis, & in aulis Principum admirationi: & Romæ, ubi habebat Nepotem Prælatum, ex cujus domo quotidie, prodibat in publicum; plus pompæ præ ſe ferebat in ſordidâ paupertate, & inſignibus Chriſti; quam in prætexta & pileis Cardinalitiis ac purpura ſuorum Conſanguineorum. Et quando Tirocinium ingrediebatur primo acceſſu, indutus erat calceis tam peſſumdatis & caducis, habituque tam abjecto, ut appareret eum nil deportare ad domum religioſam, niſi humilitatem & paupertatem Chriſti. Genuæ in

in domo Profesſâ, procuravit caute per famulum Sartoris, mutari pallium, quod habebat affatim bonum, in aliud notabiliter pejus, & centonibus conſutum, donec Superior id reprehendens juſſit illud tolli, & aliud ſubrogari. Alias in eâdem domo Genuenſi cum haberet calceos, non leviculos, nec delicatos, nec ex corio molliori (numquam enim tales admittebat) ſed communes, & Religioſo congruas, & pro quocumque alio tolerabiles: non acquievit tamen, ſed ivit ad ſutorem, & titulo quæſito, neſcio cujus reparationis, ibi, quaſi pro exiguo tempore reliquit, donec reficerentur; obtinuit & retinuit par calceorum vilium, antiquorum, perforatorum, & abjectorum, utpote nulli deinceps uſui ſervientium. Nam illud *interim* ſeu *exiguum tempus*, duravit diu, undè fuerunt quidem priores reſtituti, poſtquam refecti eſſent; ſed ille adinvenit neſcio quid, unde diceret iſtos tam viles & pauperes ſibi magis commodos; tantumque effecit, ut ſibi relinquerentur. Eâdem aſtutiâ narratur ſibi pro-

vidisse de vestibus summam paupertatem olentibus, & delegisse semper pauperrimum omnium rerum, quæ illi subministrabantur. Neque enim solum servabat summam Paupertatem in vestibus, quantumcumque laceris; sed præterea summum rigorem, cavens, ne quid superfluum in utensilibus haberet. Moris illi erat recusare etiam necessaria, si in illis non esset quod pateretur. Quemadmodum Taurini ei evênit; ubi cum per frigidissimam hyemem moraretur, Frater qui debebat ei providere; testatur, se debuisse multum obsecrare, antequam posset inducere, ad admittendos pannos sufficientes arcendo frigori: quorum onere tamen censebat se multum gravatum & afflictum. Non tantummodo interea dum versabatur in domibus Professis & Collegiis, in quibus alio modo suppleri defectus vestium poterant, gaudebat se sentire effectus sanctæ Paupertatis; sed volebat etiam eam esse sibi comitem in itineribus, quæ conficiebat tam frequenter, quam mos est Concionatoribus, qui multum re-

qui-

quiruntur in Italia. Haud ſibi umquam volebat copiam fieri, hujus vel iſtius ſupellectilis; ſed acceptabat ſine mora, quod erat allatum, niſi videret nimis laute ſibi proviſum, quod tum ſicut aliis vicibus contigit, recuſabat. Fuit tamen digna relatu, & religioſa contentio, quæ viſa eſt Taurini inter charitatem Superioris, & paupertatem P. Antonii Iulii, quo inde diſcedente in Ianuario, frigidiſſimâ anni, per id tempus, præter morem ſævientis, tempeſtate. P. Rector homo præſtantis Charitatis, juſſit ei paulò ſupra receptam conſuetudinem proſpici de iis, quæ contra inclementiam auræ rigidioris, eum tueri poſſent. Verum Pater ægrè id ferens, non poterat induci, ut iis ſe communiret ex affectu erga paupertatem, exiſtimans ſe futurum perinde ac Davidem; non armatum veſtimentis Saul, ſed impeditum. Atque hinc per intervallum quo ipſe hoc deprecabatur, & alii quibus demandata erat cura ut apparatum proviſionis adferrent, jucundiſſimum exhibebatur virtutis religioſæ ſpectaculum, termi-

natum ut ratio exigebat, in eo, quod paupertas aliquo quidem modo cederet, ſed magis tandem victrix evaderet Charitas. Multo minus afficiebatur rebus, quæ alias erant illi ſubminiſtratæ, quaſi iis ſemel acquiſitis, conſecutus fuiſſet *jus in rem* : ſed iis omnibus erat contentus cum humilitate, tantumque ei videbatur, quod nimium ei deferretur : atque adeo malebat per vias incedere veſte ad cingulum accincta, cum aliquot chartis in ſinu, & clepſydra in ſacco ; quam habere bulgam ad res ſuas deportandas. Erat omnibus ſuis exutus bonis, ſaltem quod ad uſum attinet, quia quantum ad dominium fuit judicatum ad Dei ſervitium ſatius, illo ſe non abdicare, ante profeſſionem ſolemnem quatuor votorum. Ita tamen de facto omni poſſeſſione ſe privaverat, ut ne veſtem quidem aliam peteret à Domina Matre, quæ tamen erat adminiſtratrix bonorum ejus, nec ab aliis propinquis rem quamcumque, etiam minimam in uſum ſuum, nedum pecuniam ad coëmendam ; volens ſe holocauſtum præ-

bere

bere undequaque perfectum. Si ex occasione itinerum, quæ debebat emetiri, quisquam vellet ei subministrare quidquam, quo putabatur opus habiturus, ipso inscio agendum erat cum Superiore, qui juberet eum accipere. Et si ad sublevanda Collegia in modum viatici illi quandoque darent aliquot nummos, non volebat illos usurpare tamquam peculium aut fructum suæ industriæ, sed ut daretur Collegiis in Eleëmosynam, & illa iis uterentur in toto & in parte, perinde ac si Superiorum arbitrio servati essent. Atque hac parsimonia, & aliàs, serviebat sibi de viaticis, quæ recepta erant à Collegiis nostris, & domibus, vel Ecclesiis, & Prælatis, quibus se impendebat prædicando; cum tantâ cautela, ut non dumtaxat nihil largiter expenderet in res superfluas, vel puras putas commoditatis: sed volebat, ut socii sui darent exactè rationes; & ut ita dicam, licitarentur cum cauponibus, nautis, aurigis, & mulionibus ac viarum ductoribus de mercede: hoc enim modo, inquiebat, profitemur nos pau-

peres Religiosos, & videmur quiddam alienum erogare; & maximè de patrimonio Ecclesiæ, æs Christi & pauperum. Ita se totum abdiderat, & abjecerat in sinum Paupertatis, ut sui immemor, si illa solum sibi præsto esset, putaret sibi abundè omnia suppetere. Fertur quod aliquoties dederit se in viam sine obolo in viaticum, dum socius putat sibi Patrem illud curasse, & Pater non cogitat aliud, quam se esse pauperem, & explorandos sibi esse effectus indigentiæ, nihil prorsus expetiit; donec in progressu itineris aperuisset se defectus, & attineret ad socii industriam illi occurrere: tunc enim patuit error nimiæ in utroque confidentiæ: Nonnumquam non obstante sollicita charitate in providendo, disposuit Deus, ut non esset proficiscenti prospectum: atque ita habebat quod desiderabat: nempè usum, & experientiam paupertatis. Faciebat iter Romam versus per hyemem, & casu venit Florentiam solus. Solus statuebat discedere. Sed Superior illo clam curavit illi vectorem, qui illi esset duxque

que, comesque viæ: & cum cerneret illum pauperis more malè instructum, dedit illi quædam subsidia pellendo frigori: restitit quantum potuit ne hæc & illa admittere cogeretur, satis se contra injuriam temporis munitum esse ratus panopliâ Paupertatis. Quamvis postea cum omni grati animi significatione, & per litteras, & oretenus prosecutus sit hanc curam, & memoriam servare se ostenderit officii, quod benefactor in eum contulerat.

Numquam visus est esse molestus Superioribus aut officialibus ad obtinendum cubiculum, vel ornamenta ejus, vel lecti mobilia, vel libros, vel alias res quæ ad usum quotidianum spectant: imo ne quidem aperire os, nisi ad deteriora postulanda. Quidquid illi assignatum erat, prout inveniebat, sive esset multum, sive parum perinde habebat, & tale relinquebat, & quia subinde parabatur ad modicum tempus, eo quod commoratio ejus in locis illis, non erat futura diuturna: conclave erat aliquando

tam

tam pauper & male instructum, ut vix videretur personam ibi honestam habitasse.

Non tam male erat compositum, licet satis miserè instructum cubiculum, in quo exceptus fuit Taurini, quando eo iverat concionatum: cumque P. Rector apud eum se excusaret, quod tam malè habitaturus esset; adduceretque pro ratione angustias Collegii nondum fabricati: ille cum modesta hilaritate respondit: Non possum tamen credere non esse Collegium non dignissimum, & quod spectat ad materialia bene ædificatum, cum obtingat cubiculum tam egregium mihi, cui omni titulo debuisset longè pejus assignari. Breviarium quo utebatur, absit ut esset auro oblitum, imaginibus elegantibus instructum, ligaminibus sericis, aut claustris æneis ornatum; sed tam vetustum, & dissutum, ut vix cohæreret. Libros, iconculas, rosariola, tabellulas pictas, vel ad usum suum, vel ad donandum; nec volebat, nec habebat: usque eo, ut cum post obitum ejus multæ personæ

sol-

ſollicitarent aliquid recularum ejus accipere pro ſua devotione, difficile fuerit reperire quidpiam, quo nonnullis ſatisfieret.

Cum eſset tam accuratus, quam dictum eſt, & adhuc dicetur in formanda ſua vita ad menſuram horarum & ſemihorarum & quadrantium, quem in finem ſemper ſecum in civitate, & per viam portabat clepſydram; fuit res magnæ ædificationis, quod numquam habere voluerit horologium portatile rotatum, vel aliquid, quod in ſpeciem eſset pretioſum, vel curioſum, quæ ornamenta non amat ſancta Paupertas, ſed potius ferebat incommodum portatu in ſacco vel ſinu horologium arenarium; quod ſine magno labore poterat conquirere. Quid deinde? Conciones ſuas quæ Concionatoribus pro theſauro ſunt, volebat inſuper in paupere forma eſse compoſitas: non in charta tenui, nitida, & integra, ſed in fragmentis eas ſcribebat; & aliquas, quod mirabile, quando hoſpitabatur in aliena domo, non tantum in dorſo Epiſtolarum, quas rece-

receperat (ut nonnemo sibi imaginatus fuerat) sed intra lineas, & lineas, quando tanto intervallo unæ ab aliis distabant, ut una interiici posset. Ut videre fuit in aliquibus ejus concionibus, quæ ab ejus morte repertæ sunt. Quapropter ob despicientiam sui, & humillimam paupertatem auctoris, qui tam parvi eas æstimabat, in memoria posterorum vivere merentur, & in pretio haberi.

Alio modo industriæ usus est studiosè, ut tractaretur pro paupere; videlicet in recusando omne genus servitii: ajebat enim veros pauperes non solum carere debere facultatibus, & vestibus splendidis, sed etiam personis, qui illis serviant. Idque observabat constanter non permittens sibi ministrari ab ullo, vel juvene, vel Novitio in persona; seu cubiculo; nisi ex vera & pura necessitate. Et inter sua proposita habebat notatum: *In cubiculo habere scopas, & verrere: nec non acum cum filis; ad suendas, & reficiendas vestes.* Quod ipsum exercuerat in sæculo, postquam Sacerdotio initiatus esset. Erat hospes

in Novitiatu Genuensi, ut istic exercitiis Spiritualibus vacaret: petiit clepsydram à Novitio, & interea temporis, quo vadit ille quæsitum, Pater sequitur illum pedetentim ad cubiculum, & ibi foris ad januam mansit stans instar mendici præstolantis eleëmosynam; donec Novitius ignarus eum se subsecutum, absolvisset nescio quid operæ, quod habebat prius faciendum, & egrederetur ad dandum quod petierat.

Contigit in domo Professa Mediolanensi mutandum illi fuisse cubiculum. Non quæsivit alicujus auxilium qui eum juvaret in transportandis reculis, quas habebat ad usum: sed cum vix haberet quidpiam præter sua scripta, & pauculos libros omnes conjecit in saccum, & ipsemet expeditè transtulit solus. Occurrens Superior interrogavit, quare non implorasset opem alicujus, qui eum illo labore liberasset? Respondit: illud exercitium mirificè prodesse suæ sanitati.

Parmæ hyëme rigidissima cum non potuisset obtinere ut in lecto frigido

ſe componeret ad capiendum ſumnum, voluit ſupplere moleſtiam ſibi ipſi ſerviendo; & quantumvis à Superiore eſſet deſignatus qui illi miniſtraret de omnibus, ſemper ibat ipſemet quæſitum ignem calefactorium, tam ad mitigandum frigus, ut minimum quantum permitteret obedientia; quam ad compenſandum parvum commodum caloris, cum incommodo proprii ſervitii, ſine moleſtia cujuſquam in domo. Cum diceret ad populum Taurini concionem ſuam mandabat memoriæ, ad focum communem; ibique quandoque viſus eſt torrere ſuper carbonibus fruſtum panis, quod abſtulerat ex refectorio; atque ita edebat; & illud erat unicum confortativum, quo ſubinde ante concionem viribus conſulebat; poſtulatus ad minimum ſibi ab aliis illud apparari ſineret, & intingi vino, ut plus inde vigoris hauriret; recuſavit: uſus excuſatione parum probabili, nimirum quod ſimplicia plus conferrent ſubſtantiæ: ſed revera nolebat ut ille delicatus bolus tranſiret per manus aliorum. Quando dicebat per qua-

quadragesimam, Fratres, qui ei dati erant Socii, habebant bene plus negotii ad illi persuadendum, ut permitteret sibi serviri, quam opus erat impendere aliis nonnullis, quibus numquam satis erat, quod fieret: non patiebatur sibi sterni lectum, nec excitari ignem in cubiculo; nec alia obsequia admittebat, quam quorum insuperabilis necessitas esset mensura. Quod si aut per incuriam, aut per impedimentum ejus, cujus erat providere, quid occurrisset patiendum; cum gaudio, & exultatione cordis sibi plaudebat in silentio, & spe; cum nullis loquens, nisi forte cum Deo; sicut quando Taurini fuit inventus in oratione post concionem, offerens Deo molestiam illam, quod non daretur sibi post fatigationem vires restaurare, & curare exhaustas.

Relatum est quâdam occasione postremi sui, ac fatalis morbi, quam timida fuerit ejus modestia in exigendo servitio; ut eum illi, cui incumbebat, excidisset calefacere lectum, in quem coactus erat se recipere post concionem, ad necessariam dejectarum vi-

rium reſtaurationem ; ne mortificaret Fratrem commonefaciendo illum commiſsæ oblivionis conjecerit ſe prout erat ſudore madens in lectum frigidum, unde contraxit tremorem, qui fuit principium alterationis febrilis. Non tanti periculi, ſed ſingularis modeſtiæ, non ſolum in recuſando ne ſibi ſerviretur, ſed etiam in præventione ne incommodo eſset aliis, cenſendum eſt illud, quod fecit in adventu Senam, ad ibi concionandum ; huc cum Florentiâ delatus eſſet ſolus, & fatigatus ab itinere, ſemel pulſaverat leniter campanam, nec Portarius aperiebat portam ; hæſit ibi diu foris ſtans, nec ſecundo pulſans, prorſus inſtar pauperis, qui reverenter ſtipem expectat : Unde Nobilis familiaris, & valdè addictus Patribus, qui obſervaverat, quam diu ibi moratus eſset, ſuſpicatus eſse peregrinum, & imperitum moris, oſtendit illi campanæ funiculum, dicens quod oporteret illam ſonoram facere. Reſpondit Pater : non velle ſe Patribus incommodum parere, quos ſciret fortaſſe accumbere menſæ: atque ita manſit

ſit ibi expectans ad mediam circiter horam; de quo adhæſit Domino illi ſingularis ædificatio, & narravit uxori, quæ de eo, & aliis virtutibus P. Antonii Iulii per plures annos vivam memoriam retinuit. Et anno poſt mortem ejus proprio motu, abſque eo quod eſset ad hoc requiſita, extollens eximias ejus virtutes idem retulit, adiiciens multa alia encomia in laudem defuncti P. Rectori Collegii iſtius, in quo Pater reliquerat multa præclara monumenta devotionis, Paupertatis, Humilitatis, & Obſervantiæ religioſæ, quæ grata recordatione digna ſunt celebrari. Simili modeſtia, quamvis cum minori patientiæ tolerantiâ, multo tamen & frequentiori incommodo; ſolebat ſæpe-numero ad januas quoque, quæ ſunt in ambulacris & locis publicis per domum, & erant clauſæ, ſubſiſtere; ne cuiquam moleſtus eſſet, ut cito aperiret, niſi caſu ſuperveniſſet: & pluries rogatus cur non deportaret ſecum clavem communem? Vel culpabat ſuam oſcitantiam; vel dicebat modeſtè, quod Deus vellet aliis dare occa-

 ſio-

ſionem, faciendi ſibi eam charitatem; quam recipiebat tantâ cum humilitatis & modeſtiæ teſtificatione, perinde ac ſi eſſet vere unus ex pauperibus, qui non audet intrare portam alterius; & minimum officium, quaſi ſibi indebitum cognoſcit.

Denique quam magnus in eo fuerit amor religioſæ paupertatis vel inde colligere licet, quod verbis ſuis eum aliis inculcaret. Patefecit hoc in uno è celeberrimis Monialium cœnobiis Genuæ, in quo cum unaquæque haberet ſuum peculium, communitati non erat ita proviſum, ut ratio poſcebat. Præfecta, ut erat Dei famula integerrima, & fœmina ſingularis prudentiæ, pietatis, & virtutis religioſæ, de eo ſenſum ſuum ſatis prodebat; verum ſe animabat, confidebatque, quod Deus tandem aliquando efficax remedium eſſet illi exceſsui ſubminiſtraturus; & vero ſpei ejus reſpondit eventus: quodam enim die venit eò Pater Antonius Iulius, ut in illo monaſterio exhortationem haberet ſpiritualem. In ea diſcurrebat de virtutibus religioſis, eo affectu quo ſole-

lebat; tandem dilapſus eſt ſub finem ad laudes Evangelicæ paupertatis, & perinde ac ſi eſſet Sampſon novus, in quo irruebat Spiritus Domini, in meſſem Philiſtinorum immiſit ignem. Etenim illas docens quam pulchrum ſacrificium futurum eſset, ſi omni ſe proprietate exuerent, quantumcumque regula, aut conſuetudo recepta eam permitterent; & omnia ſua in commune deferrent, ac ſpoliarent ſe omni affectu particulari erga iſta fluxa amore ſui ſponſi, qui ex amore earum, ſe feciſset extremè pauperem: tam ardenter & potenter peroravit, ut corda illarum Monialium igne Spiritus Sancti repleverit: quia poſtridie omnia ſua tulerunt Matri, ut diſponeret in communitatis uſus, mille nempe & quingentas libras argenti, quas quælibet poſſidebat ad uſus proprios, quarum proprietate ſe exuebant; ita Deus per ſervum ſuum ex cordibus earum expulerat cupiditatem pecuniæ, ut eam conſecrarent Deo; cui ut ſacrificium eſset acceptius, ſe ad eum modum expurgarunt, ut vellent evulgari

 ſe

se decrevisse deinceps vivere in illa perfecta paupertate.

CAPVT XIII.

Obedientia & regularis observantia P. Antonii Iulii.

PIetati, Mortificationi, Pœnitentiæ & aliis suis virtutibus conciliabat securitatem P. Antonius Iulius charactere religiosæ Obedientiæ, quæ fuit in tali viro plurimum admiranda; eo quod ingressus esset Societatem jam maturus: cujus ætatis videmus quosdam intrasse quandoque in Religionem, sed paucissimos illorum se ita accommodasse, ut essent in omnibus obsequentes, utpote longo tempore assueti vivere suo arbitratu. Nec solum erat vir provectus; sed in Senatorio Patriæ suæ munere versatus, solitus imperare, & suo consilio regere præter privata, insuper publica negotia. Ad hæc pollebat ingenio acri, & tenaci suæ opinionis, ac sententiæ, ut videre erat quando obedientia aut paupertas

vo-

voluntaria eum non cohibebat; quod non facilè se pateretur dimoveri à suo judicio maximè in objectis, quæ speciem boni præ se ferebant: quæ res potuissent multum eum labefactare, & imperfectum reddere in obediendo: verum enim vero cum ita esset obnoxius illis periculis, ad quæ solent abripere parum ordinati fervores, ut Patres ejus amici & voce, & litteris admonuerint, singulariter, huic hosti debellando sedulam operam navaret; tanta cura in hoc bellum incubuit, ut non obstante lucta difficillima, evaserit obedientissimus in summo gradu, quantum ullus juvenis, & quantus ullus Novitius; vere conversus & effectus sicut parvulus, ut testati & admirati sunt omnes, quotquot habuit, Superiores: & ut demus aliquod specimen, satis erit dicere, eum, quod concernit munus Concionatoris, non sciri umquam, vel affectasse, vel recusasse, vel petiisse aliquid directè, vel indirectè, per se, vel per alios; non civitatem, non pulpitum, non tempus, non facere, non omittere: si excipias solas sollicitationes Su-

 pe-

perius commemoratas, quibus ſupplicabat ut poſſet talentum ſuum impendere in locis minus celebribus & honoratis. In quo declarabat elegentiam ingenioſam ſuæ Obedientiæ: etenim licet hoc maximè seriò expeteret, ſubdebat ſe tamen penitus menti Superiorum; ad quorum ſolum nutum transferebat ſe ad diverſa loca: vocabant, revocabant; ibat redibat; mutabant pulpita obmuteſcebat; itinerum moleſtias ſubibat æque ſemper hilaris; jubebatur prædicare, prædicabat; dicere in tempore & extra tempus, dicebat; deſiſtere, deſiſtebat. Quando autem erat invitatus ad aliquam cathedram primariam, aut infimam, qualemcumque (ut ſcribit Pater, qui repertus fuerat) numquam ex ore ejus aut calamo extorqueri potuit minimum ſignum propenſionis, ut diceret ita, vel non; placet, vel diſplicet; ad aliquam rem particularem, quæ ſe offerebat, reſpondebat quidem terminis religiosè urbanis, ſed cum indifferentiâ æquali in omnibus, & dependentia à Superioribus; nec adiiciebat verbum de ſuo, quo oſtenderet

deret desiderium, vel impedimentum: & licet illi videretur, quod locus vel functio ob laborem, aërem, vel aliam circumstantiam possent grave damnum sanitati creare & vitæ: re semel proposita simpliciter Superiori, acquiescebat, & tranquillo animo obsecundabat. Senæ cum degeret, ubi fuerat concionatus per æstatem, & manebat ad dicedum per adventum, scripsit ad Sororem in hunc modum: *Pro tua in me humanitate, soror mea, velles, ut tibi aliquid de me nuntiarem, & ego contra fugio multum scribere; quia perpetuo dum mei recordor, occasionem habeo deglutiendi bolum aliquem amarum. Heri tamen die natalitio Virginis intemeratæ finivi concionem, & resumam 1. Novembris in templo nostro, & deinde incipiens Adventum Ecclesiasticum, dicturus sum in Cathedrali; nisi aër ille frigidissimus & subtilissimus mihi facessat negotium: sum tamen ad beneplacitum Superiorum, & ,quod consequens est, Dei, semper paratus. Illi sunt de statu meo affatim informati, & cum eo obdormisco. Romam pergam, quando mihi dicent ut vadam.* Illum contemptum valetudinis propter

Obe-

Obedientiam palam fecit, quando illi impositum erat Genuæ Concionatorem agere, ubi passurus erat aërem subtilissimum, suæ sanitati apprimè contrarium; scripsit ad Amicum se eo destinatum ad dicendum per æstatem, & se non invitum eo proficisci, ut exponeret vitam discrimini intuitu Obedientiæ, quamvis expertus esset aërem illum è diametro adversum suæ valetudini ob subtilitatem. Tanto pluris æstimabat Obedire quam vivere; cumque esset illi consilium datum à quibusdam Amicis, ut se excusaret à concionibus æstatis, & adventus; ne se perpetuo exhaustum iret, & pergeret ulterius pessumdare, uti antea acciderat; numquam illis consiliariis assensus est, sed missus perrexit semper, & vitam suam immolavit in victimam Obedientiæ.

Parum illi erat generose obtemperare in rebus arduis & majoris ponderis; fuit præterea accuratus in observandis studiose omnibus apicibus Obedientiæ & regulæ. Virtus in homine provecto tanto magis inusitata, quanto magis

quan-

quandoque Seniores ſe ſinunt decipi, ut exiſtiment iſta crepundia Novitiis eſſe propria, ſe autem indigna. Non ita P. Antonius Iulius; in omnibus enim obſervantiis erat irreprehenſibilis, atque pro rebus minimis petebat licentiam, nec utebatur epikiis, nec acquieſcebat permiſſionibus in commune datis; ſed ſubiiciebat ſe ſemper & ubique, toties quoties, dictis Superiorum: ita, vel non. Ad hæc in tyrocinio exercebatur quando Domina ejus Mater inſtitit apud P. Rectorem & Magiſtrum Novitiorum, ut poſſet epulo aliquo forenſi omnes Novitios recreare in uno ſuo prædio ſuburbano, & ratio dictabat eſſe permittendum. Ibi P. Antonius Iulius petiit à Domina, ut procuraret ſibi è domo ſua librum quemdam Spiritualem, quem nominabat; ſed reverſus ad novitiatum, & reflectens ſuper ea petitione damnavit eam, ut inobedientem, & inobſervantiæ ream, utpote factam ſine ſcitu Superioris; quamobrem derepente eum acceſſit, & petiit ſibi injungi, pœnitentiam: miſſoque libro noluit eum inſpicere: ſed detu-

detulit ad eumdem, inquiens sibi sufficere Thomam à Kempis. Quamvis autem bene animadvertatur illam observantiam sapere Novitium, non fuit tamen privativè Novitii: sed in ea semper perstitit, & incrementa sumpsit; quando enim postea erat jam Concionator maturus complurium annorum, & sæpè exhortabatur Moniales, habebat inter sua proposita notatum istud pusillum: *Non videre Moniales finita concione, nisi facta Superioris potestate.* Nec hoc solum, siquidem postea Mediolani, cum ex catharro laboraret Domina ejus Soror, misit quatuor pastillos parvos ex saccharo, rosaceo liquore infecto condîtos, enixè postulans, ut hoc pauxillum non aspernaretur. Primum se excusavit prætexens ejusmodi delicias sibi non quadrare; deinde tamen subjunxit se absolute eas non posse recipere, eo quod sibi non esset licitum. Aliàs fuit illi datum exiguum frustum ex osse, vel ex ebeno ad calamos recondendos: sumpsit quidem: sed ecce recordatus se non habere licentiam ad accipiendum, illico restituit; nolens ne qui-

quidem cum tacita, & nisi certissima venia admittere etiam rem tam parvi pretii, & eam prius non flagitare, etiam cum animum haberet flagitandi : sibi enim persuadebat parvis illis laxitatibus (ut revera sunt) observantiam sensim sine sensu dilabi, & ejus splendorem offuscari : Ibat ergo prius re ipsa veniam petitum, & ea concessa accipiebat, quod offerebatur. Transibat Alexandriam, quando ei allatum epistolium unius Monialis sibi consanguineæ, in quodam parthenopæo istius oppidi : noluit admittere. Quapropter Monialis consultum putavit rogare P. Rectorem, ut illi traderet : atque ita legit. Non continebat aliud, quam ut dignaretur exhortationem habere ad illas sacras Deo Virgines; cui petitioni non annuit priusquam P. Rector eum monuisset, ut responderet se earum desiderio obtemperaturum : è vestigio hoc respondit, & illis postridie adfuit, fecitque exhortationem exceptam, cum devotione & fructu notabili illarum animarum, quæ anhelaverant ut frangeret illis panem verbi Dei. Nec

so-

ſolum in Collegiis quando per tranſennam ibi hoſpitabatur, ſed etiam quando extra domum erat, non putabat ſibi licere diſpenſare, in regula, quam poterat obſervare: ac proinde cum moraretur in Epiſcopio Cremonenſi, in quadrageſima, quam iſtic concionabatur; ſi occurreret neceſſitas ſcribendi, mittebat litteras apertas ad Superiorem Collegii, ut lectas, ſi videretur, obſeraret: & una quidem vice, qua cogebatur ſcribere litteras, quæ feſtinato opus habebant, dedit illas apertas Secretario Domini Epiſcopi; precatus ut ſigillum apprimeret ſi putaret conſultum; quia ſibi dicebat deeſse talem auctoritatem.

Non formidabat revelare quod viveret in tam exacta obſervantia: unde cum nonnemo in Domo Profeſsa Mediolanenſi veniſset ad ejus cubiculum, ut cum eo quid ageret, dato ſigno ad examen conſcientiæ meridianum, eo ſtante ad januam, non quæſivit prætextus, ſed libere edixit, nunc pulſatum eſt ad examen, alias videbimus invicem. Similiter vocatus à Portario

tem-

tempore ſecundæ orationis, reſpondit, hoc manè dormivi, non poſſum, ſi quiſpiam, quidpiam me velit, non poſſum venire, niſi abſoluta meditatione. Si per aliquam extraordinariam occupationem non potuiſſet ſtatuto tempore exequi res obſervantiæ religioſæ, non putabat ſibi permiſſum ſe excuſare, nec iis partem aliquam ſubtrahere: ſed in eo ſe gerebat cum ſancta quâdam libertate: & quando partem aliquam orationis debebat perficere in templo aut in loco publico; non formidabat videri, quod metiretur tempus clepſydrâ, ut eſſet ſecurus non diminuiſſe ſe momentum tam pretioſæ ſibi occupationis, & ex devotione, & ex obedientiâ ſibi impoſitæ. Nec aliter faciebat etiam quando iter faciebat; obſervavit quippe idem quando profectus Cremonam, rediit in rheda Illuſtriſſimi Antiſtitis, comitem habens Secretarium, ut ſupra commemoratum eſt. Vix enim conſcenderat vehiculum quando extraxit ſuam clepſydram ad horam meditationis integrè complendam, Nec bono illi Sacerdoti hoc ægrè

fuit, ut quandoque nonnullis fit, quibus obſervantia videtur mali moris, & diſplicet præſertim ſæcularibus: verum hic ob hanc pietatem & accuratam obſervantiam ſummum erga eum amorem, & hauſit, & retinuit; dehinc fuit viſus tam ſæpè cum clepſydra penes ſe, quod iſta accuratio fuerit æſtimata, tam illi propria & familiaris & boni exempli, ut dum deliberarent Patres ab ejus deceſſu de ejus adumbranda effigie, & adiiciendo aliquo religioſo indicio, quod eum propriè ad vivum deſignaret, fuerint ex illis aliqui ejus ſententiæ, quod deberet pingi genuflexus in oratione, vultu plane humili, & devotionem ſpirante, appoſita juxta illum clepſydra in terra, prout moris habebat. Hæc ejus tam perfecta obſervantia maximè in rebus ſpiritualibus, etiam poſt mortem, fructum in aliis operari non ceſſavit, ſive per præſentiam, ſive per conceptum. Etenim Religioſus magnæ auctoritatis & dotibus eximiis præditus, nec temerarius, de ſe narravit; quod cum aliquoties P. Antonium Iulium rogaſſet

ſet adhuc viventem, ut ſuis precationibus, ſibi à Deo aliquas gratias de novo impetraret, uno mane ſe illi jam defuncto commendavit ad aliam obtinendam; veſperi deinde illius diei, dedit ſe per modum diverticuli lectioni Poëtæ vulgaris; & licet ſuperveniret tempus præſcriptum à regula ad faciendum examen conſcientiæ, ſivit ſe tamen ſeduci delectatione illius lectionis: quando ecce illi viſum eſt, ſe cernere ſtantem ante ſe P. Antonium Iulium in habitu concionatorio cum ſuperpellicio & ſtola, qui illum intuebatur fixo oculo, auſtero vultu, & ad ſeveritatem compoſito; nec loquebatur tum quidem exterius verbum ullum: ſed eodem tempore ſenſit ſibi inſpirari hujuſmodi cogitationem: Iſte non eſt modus conſequendi gratias: & unà illi videbatur librum, quem tenebat, ſibi fuiſſe ereptum è manibus, & conjectum in terram, ubi deinde deprehendit cecidiſſe. Si hæc fuerit præſentia realis P. Antonii Iulii ordinata à Deo, fuerit certe ad ſecundandam, & remunerandam exactam iſtius ſui obſervan-

tiam famuli: ſin vero fuerit tantum imaginatio iſtius, qui retulit; bene apparet, quam altum conceptum religioſæ ſuæ accurationis reliquerit impreſſum P. Antonius Iulius in animis eorum, qui eum ex uſu & viſu noverant: ſufficit etenim hæc ad formandam in perſona matura non tantum ſindereſim, ſed etiam vivam talem apprehenſionem culpatæ inobſervantiæ, & imprimendum terrorem.

Et profectò tantum illi in amoribus fuit iſta ordinata harmonia & concentus bene diſtributorum operum, quæ obſervantur à Religioſis; ut in officio concionandi (quemadmodum habebat complacentiam quod laboraret in bonum animarum) id illi parum fuerit gratum, quod ob varietatem itinerum, locorum, & impedimentorum, cui obnoxium erat miniſterium illud, cauſaret neceſſitatem ordinis, in vita religioſa ſtabiliti, ſubinde turbandi. Atque ideo ſcribens ad quemdam amicum expetiit precum ejus ſubſidium, inquiens: *Opus habeo ope tua ne deterior fiam, interim quo alii meliores evadunt, in* *fun-*

functione, quæ & ob itinera quæ emetior; & propter varietatem hominum, cum quibus versor; & propter habenas solutas, quas habeo; & propter turbationem horologii religiosi, ex natura sua periculo exponit, præcipitandi in torporem animos robustissimos: quid futurum credis de debilioribus qualis est meus?

At non erit fortasse tam mira in isto viro, tam exacta Obedientia in minimis quidem, verum creberrimis, & tepido Religioso molestissimis observantiis; quantum in fidelissima sinceritate, cum qua, ut suprà vidimus, exponebat conspectui suorum Superiorum totum suum intimum & extimum, bonum, & malum, virtutes, mortificationes, & sensa animi sui; quoniam in illa, & cum illa exercebat magis illam suam supra laudatam sui judicii diffidentiam, submittendo illam censuræ Sacerdotis; cujus magis intererat lepram, vel sanitatem internam discernere, de qua alibi est dictum à me quidpiam. Itaque non contentus directione, quam aliquoties à Superiore accipiebat; & desiderans plus imme-

diatam & frequentem, petebat aliorum interventu in rebus plurimis iisque minutioribus studiosius gubernari, nedum in primis annis vitæ religiosæ, quibus unusquisque se timet, & habet suspectum: sed insuper in ultimis, quibus solent quam plurimi de se præsumere, & non timere, nisi sint prudentiores. Atque adeo in folio supradicto quod exhibuit P. Provinciali, quatuor mensibus, antequam ad Superos migraret, conclusit, inquiens: *Supplico præterea R. V. ut considerare dignetur, an non videatur consultum, ut habeam directorem particularem, qui me deducat per vias rectas: quia omnino promptus sum & paratus, me ejus directioni submittere, ad eum modum, quem R. V. censuerit expedire.* Et nominabat unum qui illi occurebat, & quem pro censore tam rigido habebat, ut nulla in re dissimulasset. Quando deinde nactus erat unum, qui eum strenue commonefaceret, & consilio adesset opportunius; quantâ promptitudine obtemperarit, patuit Lucæ, dum istic per quadragesimam sacrum Oratorem ageret. Cum,

ex

ex metu ne excederet in rigore erga ſe, & fervore erga alios, P. Præpoſitus Genuenſis commendaſſet (quod Superius commemoratum memini) ut ſe regeret juxta conſilium unius Patris ex tertio anno, qui ibat illi ſocius P. Antonius Iulius præſtitit ſe tam facilem, & obſequentem ut (ſicut ſcripſit ipſemet ille Pater) mihi opus fuerit circumſpectè cavere, ne excideret mihi verbum, quo patefacerem meam inclinationem; quia totum interpretabatur in ſenſu regiminis illi injuncti; nec aliud reſpondebat aut faciebat, ſed ſtatim acquieſcebat & obediebat. Quantum autem ſibi congratularetur, quod videret ſe ad hanc normam compoſitum, & ſecurum redditum adimplere ſe hoc modo voluntatem Dei, colligi & adſtrui ulterius poteſt ex eo, quod ſupra ſcriptum ab eo meminimus, ad arbitrum unum conſcientiæ ſuæ, virum revera valdè religioſum, & diſertum Spiritus Magiſtrum; à quo cum quæſiiſſet judicium de certis dubiis in particulari, ſubjunxit: *R. V. non ſpectet aliud, niſi obligationem quam habeo*

 ego,

ego, ex voto mihi impositam; ad faciendum id, quod judicaverit melius ad divinam gloriam, & bonum meum spirituale. Ego autem per gratiam Dei conabor quam accuratissimè exequi sententiam suam, quam pro Sancta venerabor. Unde manifestum est non fuisse contentum correxisse suum illum timorem claudicandi in virtute, per vincula ordinaria Obedientiæ præstitæ Superioribus: sed voluerit etiam voto particulari eam asserere non minus difficili quam perfecto, voto inquam obedientiæ erga suum Spiritus instructorem. Si umquam sibi videretur non obedivisse cum ea promptitudine & simplicitate, cujus sibi præfixerat perfectissimam idæam; pœnitebat eum privatim & reprehendebat se publice cum gravi sensu. Dum habitaret in Collegio Mediolanensi revertens quodam die de foris domum; postquam pluribus vicibus pulsasset, Ianitor tardabat venire, ut intromitteret: quid faceret Pater? discessit ut intraret per lateralem portam templi, & inde in domum: sed socio eum memorem reddente, regulæ, non in-

intrandum nisi per communem januam domus, regressus est, & iterum atque iterum nolam traxit; cumque diu frustra expectasset, arbitratus est circumstantiam prævalere legi, & per portam Ecclesiæ ingressus est: Sed non transiit dies ista, quin dicta fuerit de hoc defectu ejus publicè culpa, & imposita pœnitentia non terminis ordinariis, sed verbis valde exprimentibus, aggravantibus ejus humiliationem: unde habetur certum quod ipse considerata secum melius illa actione, & comperta pro prævaricatione observantiæ regularis, conjecerit in chartam eamdem istam formam, qua interius seipsum arguerat; precatusque fuerit Superiorem, ut curaret publice legi in mensa, quo non videretur à suamet humilitate dictata, sed ad majorem humiliationem ab eodem Superiore directè inflicta.

Paucissimæ tamen sese obtulerunt occasiones accusandi se, quod non perfectè implesset, secundum præscriptum regularum, Superiorum voluntatem: nec illud ferè unquam continge-

bat; nisi quando illi præscriptum erat, vel suasum, indulgeret sibi nonnihil amplius recreationis vel commoditatis: verum in una invectiva publica, quam obtinuit, ut sibi faceret post vacationes Mediolani, posuit diserte in enumeratione defectuum, etiam illud: *non sum executus, sed potius feci contrarium ejus, quod Superiores, ut suam erga me exhiberent charitatem, & benevolam humanitatem, mihi non semel dixerunt, puta, ut me recrearem.* Ecce qualia fuerint argumenta inobedientiarum ejus, in quibus tamen & in omni alia materia, volupe illi erat, ut Superiores de se libere disponerent, & gaudebat quando voluntatem suam frangebant: quæ quia in aliis vix rumpi poterat, uti dictum, nisi in commoditatum & recreationum usu; si quandoque talis obedientia accideret loquebatur cum satisfactione, & sibi multum plaudebat. *Placet mihi*, inquit, *iste modus: Superior tam humanus est, & ego habeo repugnantiam, ut hisce diebus morer in villa. Bene habet, ob id ipsum vade, & te crucia. Mihi placet multum.* O placere paradoxum!

na-

natum ex diſplicentia, & è diametro oppoſitum diſplicentiæ illorum, qui etiam in objectis, quæ appetunt, nauſeam ſentiunt, ſi ſint imperata modo aliquanto minus molli, quam queat ſufferre delicata ſenſibilitas. Non poterat quidem aliter eſſe, quin ſentiret difficultatem in tranſcribendo & ſubiiciendo ſuum velle, & multo magis flexibiliter conformando illud opinioni ſuorum Superiorum; & quidem oppidò magnam, cum eſſet genii vivacis, & ingenioſus: ſed gloriosè victor lubentiam ſuam jugo Chriſti ſubiiciebat, uti aliquando expoſuit Patri, cui multum confidebat, & quem conſuluerat ſuper caſu aliquo particulari. Quod ille exhortatus eum fuiſſet, ut totum ſe traderet Sanctæ Obedientiæ, reſcripſit illi his verbis: *Veſtræ benevolæ confortationes efficaciter in me operatæ ſunt. Adeo ut, quamvis in ſubſtantia mearum operationum fuerim ſatis firmus, volendo voluntatem meorum Superiorum ſervare pro regula; tamen circa aliquas circumſtantias accidentales, cum eſſem forte tentatus, ne ad-*

adhiberem modum planiorem, & sinceriorem, in quo nulla esset formido, quod amor proprius in partem posset venire, & vitium facere in holocausto; sed jam à Spiritu roboratus, qui calamum hunc direxit, decrevi me gerere prorsus instar baculi senilis, & corporis mortui. R. V. me juvet suis orationibus, ne propter illam meam resolutionem, deserant me tentationes: sed ad omnem occasionem, quæ quotidie una ex alia se offert, redeam in arenam ad decertandum alacriter forte certamen. Ita ille: Atqui Christus dominus noster se bonum ducem præbuit tam egregii militis, *& certamen forte dedit illi ut vinceret*, ac deinde ut verus *obediens loqueretur victorias.*

CAPVT XIV.

Opinio virtutum in qua erat P. Antonius Iulius, & felix transitus ad meliorem vitam.

HÆ sunt virtutes P. Antonii Iulii, quarum usque in hanc horam potuit colligi aliqua distincta recordatio: ex quibus, & compluribus aliis non

ita

ita ſpeciatim obſervatis, manſit impreſſa animis opinio & æſtimatio illius, perinde ac hominis ſingulariſſimi, ac extraordinariæ probitatis. Uſque adeo ut pictor qui nunquam alias eum viderat; primo acceſſu, quo eum contemplatus eſt, ſpirantem in eo deprehenderit auram quamdam cæleſtem, talemque hauſerit de eo conjecturam Sanctitatis, ut dignum cenſuerit, cujus effigiem ex occulto ad vivum delinearet. Atque hæc opinio ſublimium ejus virtutum invaſit communiter omnes, qui eum uſu, & viſu cognoverunt, expreſſa verbis & formulis loquendi multum ſignificantibus à variis, qui percunctati quid cenſérent de virtutibus P. Antonii Iulii, non nulli dixerunt fuiſſe eximiarum virtutum: alii quantum de illo proferri poſſet, minus eſſe ejus meritis. Hi vocarunt virum Sanctorum morum: illi hominem immaculatæ vitæ, qualis primariis Sanctis conveniret. Quidam puriſſimæ animæ elogio honorarunt. Mutinâ ſcriptum fuit, quod dediſſet ibi magnam ædificationem, exemplis numquam

quam intermissis, assiduæ orationis, profundæ humilitatis, despicientiæ sui, & multarum aliarum virtutum, ob quas fuisset tantum in veneratione, quantum ullibi: etenim virtutis erat in omni loco æqualis. Cremonâ nuntiatum est in hæc verba: P. Antonius Iulius felicissimæ recordationis concionatus est in hac Cathedrali; reliquitque post se opinionem tamquam viri magnæ virtutis. In populo, & in nobilitate æstimatus erat summè, & in Episcopio ubi commorabatur, erat ab omnibus honoratus, uti vir singularis virtutis. Bononia misit quidam ex Patribus multæ doctrinæ & integritatis hoc testimonium: Præsentia P. Antonii Iulii & commoratio in hac civitate, fuit rara, & non longi temporis; sed per istam brevem moram reliquit tam eximiam & diu duraturam variarum virtutum fragrantiam, ut memoria illius evadat dulcissima simul & amarissima, illi qui meminit primo se potitum fuisse prorsus cælesti ejus conversatione, cujus jacturam jam fecerat; quia in cælum sublevabat personas,

cum quibus tractabat: idque etiam modo experimur, *quod memoria ejus in compositione odoris facta opere pigmentarii in omniore quasi mel indulcatur.* Et addit quod in litteris ab illo per intervalla receptis, ſemper cernerentur coruſcare ſenſa, & affectus ſuaviſſimi de Deo, abnegatio, & contemptus omnimodus ſui ipſius, reſignatio conſummata, & dependentia à Sancta Obedientia, innumeræque aliæ virtutes; ac proinde quod una ex ultimis epiſtolis recepta, dum poſtremum Verbum Dei prædicaret Genuæ, ſervaretur inſtar præſtantiſſimæ, & venerabilis reliquiæ, & ſæpius eam reverenter oſcularetur. Taurino allatum eſt: Vox communis omnium horum Patrum, ac Fratrum eſt P. Antonium Iulium, eo, quo habitavit in hoc Collegio, tempore, dediſſe ſemper ædificationem non vulgarem, tam domi quam foris; & quidam Patres è Senioribus hoc addiderunt, quod ſi diuturniori tempore ibi ſubſtitiſſet, mirabili metamorphoſi Taurinum Sanctum effeciſſet. Cum Pater ex hac mortali vita ad immortalem migraſ-

graſſet, accepit unus è noſtris Taurinenſibus epiſtolam Genua, nuntiam felicis ejus obitus, atque una imagunculam defuncti ſimpliciter adornatam; cumque compertum haberet, quantum æſtimatus & amatus fuiſſet ab Excellentiſſimo Domino Marchione de Pianezza: procuravit ut una & altera ad manus ejus veniret. Bonus ille Dominus perlegens epiſtolam exclamavit: mortuus eſt unus Sanctus. Eodemque fuit epitheto decoratus à Domina Principe Regali, peracuti ingenii Matrona, ad nova de morte ejus, quæ ad illam detulerat Dominus Marchio; qui poſtea voluit iconculam ſibi retinere in memoriam, & venerationem ſpectatiſſimæ virtutis, ſicut & litteras ab eo acceptas affectibus religioſiſſimis refertas. Adhuc vivus fuit habitus cum ea demonſtratione reverentiæ, quæ ſolet deferri perſonis venerandæ virtutis. Concionabatur in celebri civitate, & invectus eſt in irreverentiam, quæ committebatur in templis, & indecentiam in celebrando, qua certam Eccleſiam contigit deſignare

&

& innuere; ſenſerunt ſe notatos aliqui, ad quos cura ejus ſpectabat; illico queſti ſunt apud Illuſtriſſimum: ſed prudens Antiſtes eos placavit, dicens: ſinite ſua peragere P. Brignole, quia ejus Virtus meretur omnem venerationem. Proficiſcens Genua Lucam fuit coactus ſubſiſtere aliquot diebus Maſſæ, ubi reperiebatur præter illius loci Principem cum Marchione de Carrara, etiam Dux & Duciſſa Doria, Principiſſa Caſtilionenſis, & Marchioniſſa Sarra. Exprimi calamo nequit, qui honores iſtic ab omni iſta nobilitate iſti Dei famulo, fuerint delati, & quæ ſignificationes pretii in quo probitatem ejus habebant. Eodem veſpere quo advenit toto pluebat; Princeps tamen octogenarius & infirmus, deportari ſe curavit ad viſitandum in domo, in qua Pater, qui erat principibus illis fœminis à confeſſionibus, eum hoſpitio exceperat: & dixit non potuiſſe ſe ullatenus cohibere, quin accurreret ipſo momento, quo intellexerat ejus adventum: venire ſe in perſona, ut accipiat ab illo benedictionem,

 ſine

ſine qua ſibi impreſſerat, illa nocte dormiturum ſe non fuiſſe. Sequutæ ſunt deinde devotiones ſupra recenſitæ, quas hortatu Patris obiverunt. Quando deinde ſtabat in procinctu ut diſcederet, cum Princeps inaudiviſſet difficultatem, quam patiebatur in equitando, ob male affectam tibiam: omnimodè voluit Lucam uſque ſua lectica uteretur; & quia difficilem ſe præbebat in admittenda, Patris Socii adhibere oportuit auctoritatem, ut reluctantem expugnaret. Cui præterea multis precibus enixè commendavit quemadmodum etiam fecerunt omnes illi alii Principes & Principiſſæ, ſi vel Lucæ, vel in reditu res aliqua occurreret, in qua P. Antonio Iulio uſui & commodo eſſe poſſent, certiores ſe faceret; pro maxima ſe gratia habituros ſi tali Dei Miniſtro in re aliqua gratificandi opportunitas daretur. Eadem officia poſtea renovavit eo tempore quo Pater commoratus eſt Lucæ, & litteris, & Nobili citatis equis miſſo, ad inviſendum, & gratulandum de fructu quem reportabat ex ſuis concioni-

nibus & commendandum ſe ejus precibus.

P. Provincialis, ſub cujus regimine in Domino obdormivit, faciens exhortationem in Domo Profeſſa Genuenſi, paucis à morte diebus ; ut communi expectationi Patrum faceret ſatis, incepit excurrere in ejus laudes : & licet deberet loqui cum ea cautela, quam deceret majoris notæ Superiorem; non dubitavit tamen dicere : quod apud totam civitatem eſſet in opinione magnæ virtutis, & fuiſſet perſona in omnibus, per quos tranſiverat, vitæ ſtatibus, valde ſingularis, & admirabilis: ſed multo magis in Societate memoriam ejus futuram in benedictione, ob tenorem vitæ decem annis irreprehenſibiliter in Religione traductæ, quæ æquivalent compluribus ob continuum & numquam intermiſſum fervens exercitium religioſarum virtutum, profundiſſimæ Humilitatis, Paupertatis, Vilipendentiæ ſui, Mortificationis, exactiſſimæ obſervantiæ, Obedientiæ, Charitatis, fervoris, & conſuetudinis cum Deo, atque ſummæ

Religionis in rebus omnibus; ad eum modum, ut fuerit communis omnium sententia, quocumque se verteret secum deferre normam veri & perfecti Religiosi, qui omnes permoveret ad pietatem & devotionem. Hæc dixit P. Provincialis parum in verbis, sed multum in substantia, quæ, ut verissima, fuerunt accepta cum universali consensu & consolatione. Si orationes funebres habitæ fuissent de ejus laudibus, ut mos est fieri in exequiis Religiosorum, qui mortui sunt cum opinione non vulgaris sanctimoniæ, atque non panegyres dictæ fuissent! Atqui cum non fuerint illæ celebratæ, sed ob impedimenta dilatæ; existimavi satius, præsentem laudum ejus commentarium compilare, qua possem; & colligere plura quam brevitas concionis caperet, atque ita pluribus Provinciæ locis communicare. Quin etiam P. N. Generalis Goswinus Nickel tam fuit captus exemplo isto vivendi religiosè, & Concionatoris tam evangelicè, ut, quemadmodum scripsit, dixerit: *Tales homines desideramus nobiscum manere.* Et ideo

ideo cum ſolerent ante æſtatem Roma dimitti Concionatores, voluit Patrem ibi ſubſiſtere, & diutius retinuiſſet, ſi ſanitas ejus paſſa fuiſſet; & niſi multæ civitates Italiæ eum ſibi petiiſsent, ut utilium ejus laborum fierent participes.

Attamen potentior in expetendo, & felicior in impetrando fuit Genua ejus Patria; tamquam illa, quæ præferenda erat, ex merito quod eum genuiſset, & per eum artem proficiendi calleret, Deo exceptionem faciente in illa universali: *Nemo Propheta acceptus eſt in Patria ſua.* Quamvis enim quadrageſimales conciones paucis annis ibi peregiſſet, opus fuit illi indulgere alteram, quæ fuit poſtrema. In ea reſumpſit dicendi penſum, quemadmodum concurſu majori quam umquam, ita Zelo & fervore ſpiritus tanto inflammatiore, quam conſuerat in corripiendis Evangelica libertate moribus profligatis, & permovendis animis, cum affectu vehementi, ad dolorem de peccatis, & exercitium Chriſtianarum virtutum; adeoque licet ipſe non præſagiiſset, potuiſset prævideri illum eſse

novissimum, sed & generosissimum conatum Charitatis, secundum totam latitudinem suæ spheræ agentis; quia ipse hoc siuit sibi elabi & quis scit an de Cœlo, ut quibusdam visum, hoc illi insinuatum non fuerit? In auspiciis enim suarum concionum, petens licentiam à Patria sua, ostendendi suum erga illam amorem magis quam unquam, in vitiis periculosis detegendis, ex quibus sequeretur certa animarum pernicies. Applicavit sibi non modo monitum apostolicum datum S. Timotheo. *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple:* sed etiam annuntiavit id quod subjungit Apostolus: *Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Allegans hoc pro stimulo impendendi se cum majori Charitate ministerio prædicationis Evangelicæ. Id quod fecit eum hæc proferre, fecit etiam hoc præmonere. Et vero fuit ab auditorio acceptum tamquam mirum quid, de quo sermo percrebuit per civitatem, non sine timore; & perscriptus est alio, cum suspensione, perinde quasi Pater

præ-

prædixiſset ſibi inſtare finem vitæ; quem tamen ſine lumine majore, & ipſa ætas, & indiſpoſitiones corporis, & debilitas per ſe comminabantur: atqui comminatio iſta fuit nimis, quam vera, quia cum perſequutus fuiſset tam ardenter ſuas conciones, ad duas prope ſeptimanas, cum confluxu & fructu famam ſuperante, & imbecillitatem virium vigore Spiritus confirmante: coactus eſt cedere febri, quæ eum ſtravit in lectum cum occulta malignitate: cumque in principio ſpem inter & metum res diſſimulanter hæreret, protinus ſe prodidit fatalem; & intra ſpatium duarum minus hebdomadarum extinxit. Tempore, & ex occaſione hujus poſtremæ infirmitatis ſecutæque mortis, docuit Pater, quam propriè denuntiationi ſui finis annectere potuiſset conſolationem illius doctoris gentium Pauli Apoſtoli: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi; in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ.* Etenim ab initio ſuæ ægritudinis ante Medicos, ex ſenſu proprio, derepente cognovit mortalem; vel ut me-

melius dicam promulsidem æternæ vitæ. Inundavit hæc cor ejus voluptate, quæ in vultu transparens, & in verbis se patefaciens, causavit in omnibus magnam admirationem; utpote res insolita, & raro visa, etiam inter Religiosos, qui etiamsi cernuntur bene mori cum tranquillitate, in præmium laborum pro Dei obsequio susceptorum, & cum alta pace in fructum multarum victoriarum de seipsis in vita religiosa relatarum: P. Antonius Iulius, non solum requievit in pace; verum per anticipationem intravit in gaudium cœli, quod resplendescebat in facie, & faciebat eum loqui instar Angeli de propinqua felicitate, ad quam spem proximam habebat se profecturum illico, & Deo fruiturum. Illis ergo, qui subinde indicabant vitam ejus non habere se pro desperata, dicebat: *Amabo nolite mihi dicere tam ingrata nuntia.* Ad quod responsum cum animadverteret, alios in admirationem rapi, subintulit; *An non forte essent mala nova Nauclero, qui navim suam provexisset usque ad orificium portus, si oriretur inopinato ventus*

ad-

adverſus, qui eum propelleret retrorſum in medium tempeſtatis? Quomodo ergo non erunt infauſta nova pro me quibus fiat mihi omnis non modo ſpes; ſed timor etiam rejectum me iri, in vitam tam procelloſam. Aſſerebat ſæpe numero ſibi dici non poſſe verbum magis inſipidum, quam ſi Doctor Medicus, ei denuntiaret ſe liberum eſse à febri. Atque ita ſicut ſolidius conſolabatur illos, qui venerant eum conſolatum, ita relinquebat triſtiores, tanto plus ponderantes jacturam, quam facturi erant, quanto ipſi futura erat majoris lucri. Quamvis ut verum fatear mors P. Antonii Iulii habuerit unam proprietatem, ab aliis compertam, in obitu aliquorum Sanctorum; quod amicos non reliquerit nimios afflictos. Enimvero cum abſolveret vitæ telam non adeo effœtus, quin aliquot adhuc annis vivere poſset, & abrupturus eſset ſpem tantorum fructuum colligendorum in ſervitium & gloriam Dei, quorum effectus in luce publica verſabantur; ad hæc ob amabiles mores eſset in deſideriis & amoribus omnium; hilaritas tamen, quam oppone-

nebat terribilium terribilissimo, ita influebat in animos aliorum, ut cordium amaritudinem dissiparet, & dulcitudine leniret: adeoque mors eius multo minus turbavit animos suorum amicorum, & eorum, qui familiariter eum noverant, quam videbatur debuisse: receptaque est majori cum invidiâ, quam luctu & comploratione.

Non fuit immemor in ista sua lætitia, dilectæ sibi humilitatis. Itaque uti omnia super ea fundabat; non attribuebat suis meritis spes suas, sed meritis religionis, in qua moriebatur. Hinc omnibus & singulis, qui eum invisebant, nostris & extrariis, non desinebat magno affectu exponere, quanto hoc sibi esset solatio mori posse Religiosum Societatis. Ultimis diebus rogatus à quibusdam principibus viris, valde piis, & illi affectis, ut in illo articulo vellet illis dicere aliquod verbum salutare ædificationis; cum putaret illam actionem competere alteri, quam sibi, semper detrectabat: donec P. Provincialis plus respiciens ad devotionem, & merita istorum Dominorum, quam

ad

ad humilitatem Patris, præcepit ut illis obſequeretur; permiſit ergo intrare cubiculum ſuos liberos, aliquot propinquos, & alios complures ſibi affectos; qui in genua provoluti circumdederunt lectum cum multo affectu dolore intermixto: atque ipſe paucis verbis, ſed ſenſu plenis eos affatus eſt in hunc modum: *Quod cum viderent eum in procinctu, ut brevi comparendum illi eſſet ante tribunal Dei Iudicis, non dubitarent ſe dicturum illis veritatem: & ut eſſent certi, ſe non habere remorſum conſcientiæ, ut ſparſum fuiſſe perceperat, & ad illorum aures potuerat perveniſſe, quod Religionem fuiſſet ingreſſus; quaſi vero ea de cauſa ſiuiſſet occaſionem elabi faciendi bonum, quod putarent eum in ſæculo, majus facere potuiſſe: velle ſe, ut ſcirent, quod ſi adhuc deliberandum ei foret, idem ſe facturum: nec habere ſe in iſto articulo conſolationem majorem, quam quod factus ſit, & vixerit Religioſus: & ſicut ſummè doleret, non prius id ſe exequutum fuiſſe, ita omnium lætitiarum inſtar illi eſſe, quod moriatur in Societate* IESU. *Si tamen decretum illis eſſet manendi in ſæculo, & illic vivendi* me-

melius quam ipse vixisset, laudarent Deum: viderent tamen etiam atque etiam, ut non patiantur se decipi: sed quandoquidem experientia se docuisset, quod difficile sit salvari in mundo, rogare se, suam ut imprudentiam non imitarentur qua tanto tempore ingressum distulerat; sed primo quoque tempore statuerent, quibuscumque modis securam reddere animæ suæ salutem, & procurare veram & unicam in morte jucunditatem. Deinde quod post salutem animæ suæ, cuique eorum impense commendaret Societatem, & ut illum affectum, quam tum sibi exhibebant, erga eam servarent, quam magis ac magis jure meritoque semper diligere cogeretur; quod si in eo sibi obsecundarent, summè gratum in eos se futurum promittens; & postquam venisset ad locum beatitudinis, numquam obliturum eorum pietatis. At hæc cum omnibus, excidernt lacrymæ dixit illis ultimum vale, & ab illo divulsi sunt omnes, contristati simul, & solatio delibuti.

Ille porro intentus, sicut fecerat à principio morbi, exercitio illius præclaræ virtutis, quam tot actibus frequentatis in vita sibi fecerat habitu acqui-

quiſito tam familiarem, ut nec dolores morbi, nec timor mortis illum diverterent, niſi quando ſub finem, affectus & cogitatio elangueſcerent: fuit ſemper obedientiſſimus quà Medico, quà Infirmario: nunquam auditus eſt queri de aliqua re, niſi quod nimium ſtudium impenderent recuperandæ ejus ſanitati, quam rebatur aliis fore inutilem; atque indignam cui tam operoſe ſerviretur, & ſibi damno futuram, ob ingens deſiderium, quo flagrabat, ſolutis corporis compagibus, exiſtendi cum Chriſto. Confiſus eſt P. Provinciali dubium aliquod notabile proponere; cujus una & altera pars erat in favorem humilitatis: dicebat enim valde ſe optare, ut ante mortem egregiè flagellaretur, ac deinde deponeretur in terra, ut ibi coöpertus cinere & cilicio exſtingueretur: Verum enim vero quia ſciebat illos actus eſſe poſtulatos & exercitos à Sanctis, non audere ſe illos expetere, ne videretur velle pompæ, & oſtentationi exponere humilitatem: timere ſe tamen non exponere hanc ſuam inſpirationem, quaſi ignoraret

quid

quid mererentur ejus peccata. Totum vero postquam explicuisset, submittere se judicio sui Superioris, quem solum obtestabatur, ut si non probaret, nulli palam faceret se hoc vel petiisse, vel cogitasse; futurum enim hoc illum obiicere periculo vanitatis. De aliis ejus devotis affectibus non tantopere sollicitus erat, ut impediretur, quo minus manifesti fierent; erant enim frequentissimi actus devotionis, quos eliciebat, & colloquia, quibus adspirabat cor ejus ad summum bonum, laudans, & benedicens Deum tenerrimè, quod admisisset, & conservasset se usque ad finem in Societate. Admonitus autem ne se nimium loquendo fatigaret, tacebat aliquantisper lingua, sed corde loquebatur: aut si desistebat, rogabat ut sibi legerent librum pium, nec lubebat illi audire sermocinantes nisi de Deo, unde ut illi satisfieret pro ultima & tam Sancta voluntate, excluso omni alio discursu, oportebat de tempore in tempus hoc illi solatium præbere, ut diceretur, aut prælegeretur punctum aliquod sapidum Spirituale.

Re-

Recipit ultima Sacramenta plenè ſui compos, cum intenſiſſima pietate, cujus præter circumſtantiam temporis habuit aliud ſingulare motivum. Etenim anno antequam monitus eſſet ad edendam profeſſionem quatuor votorum, licet non expleſſet niſi novem annos Religionis, privilegium hoc illi indulgebat P. Vicarius Generalis, ut diſpenſaret in uno anno ex decem, quibus ſolent expectare, qui ſtudia ſua abſolverunt extra Societatem; intuitu dotium quibus erat ornatus à Deo tam naturæ quam gratiæ, ob quas hunc favorem merebatur. Atqui Patri, qui communium gratiarum ſe putabat indignum, ne dum ſingularium, fuit conſilium datum propter rationes bonorum temporalium, quibus ſe abdicaturus erat: non omittere quidem, ſed multo rationabilius, & prudentius facturum in emolumentum filiorum, profeſſionem differre; quod & obtinuit. Cum itaque decennium initio Martii eſſet expletum, in quo menſe obiit: voluerunt Superiores moras ulteriores abrumperet, niſi quod ſuper-

vene-

venerint labores quadragesimales; ac deinde ægritudo, in qua cum videret se invitari ad cœlum, acceptavit quod offerebatur, ut æternitatis iter ingrederetur novis istis vinculis obstrictus, conjunctus Deo, & plenus amore, in signum promptitudinis suæ quod non recusaret languores & majores labores, *si adhuc populo Dei esset necessarius.* Itaque antequam sumeret sanctissimam Eucharistiam in viaticum; in manu P. Provincialis, præsentibus circumstantibus non paucis, summa demonstratione pietatis solemni professione se obtulit in holocaustum, quod admisit Deus *in odorem suavitatis:* & ipse repletus nova voluptate perseveravit in edendis affectibus pietatis, & virtutum atque ita sensibus integris & sana mente 20. Martii, die Lunæ post Dominicam quartam quadragesimæ, stipatus orationibus Patrum, ac Fratrum, qui ei invidebant tam felicem transitum, hora 15. secundum computum Italicum, nostra autem nisi fallor præter propter 10. matutina, placide emisit spiritum anno 1662. ætatis vero 57.

Simu-

Simulatque promulgata eſt fama mortis ejus, tantus fuit univerſim motus in civitate, ut Patres meritò dubitaverint, utrum non ſequeretur tanta inundatio populi, & tumultus in ejus funere, qualis in exequiis hominum Sanctitate Illuſtrium, ex pietate populari ſolet quandoque oriri; ſine ſpe quod honorificæ iſtæ tūrbationes, quas decorum non eſſet permittere, poſſent impediri. Judicantes ergo debere ſe eas prævertere, juſſerunt ſpargi; quod juſta tantum inſtituenda forent poſtridie ſub veſperam: at tacitè prævenientes, tulerunt mane; ſatis tempeſtive corpus more ſolito ad templum. Ibi cantatum eſt officium, quod ſatis tranquillè tranſactum eſt, niſi ſub finem: quando expectatio populi, qui cogitabat copiam eum vivendi præbendam poſt prandium, neſcio quo artificio, ſubodorata id quod erat, & timens ne ſpes eorum eſſet deluſa, cœpit concurrere & inundare templum ad eum modum, ut non ſufficerent ſepta ſcamnorum, quæ, ad impetum coercendum, ita in orbem diſpoſita erant; ut non

pateret aditus: quare finito officio non ſine magno molimine, fuit relatum in Sacriſtiam. Sed populus excluſus, tam fortiter inſtitit, ut opus fuerit januam Sacrarii peſſulo bene firmo obſerare. Congruum tamen poſtea viſum fuit, poſtulantibus faciem cadaveris veſtiti habitu Sacerdotali ad publicam ſatisfactionem præbere ſpectandam, & quidni dicam? Venerandam; quippe duravit itus & reditus populi uſque ad ſolis occaſum, cum tali frequentia, qualis videtur in locis ubi ſolemniores Indulgentiæ lucrandæ proponuntur; & cum ſignificationibus tantæ pietatis & reverentiæ, ut inde liqueret, quæ eſſet ejus æſtimatio. Nec concurſus ille fuit effectus pietatis ſolummodo in vulgo, quod exclamans mortuum eſſe virum Sanctum, ſubito motum excivit animorum; ſed opinionem eamdem conceperunt perſonæ maturi judicii, qui & ob prudentiam, & ob dignitatem, qua eminebant, non tam facile erant movendæ: venerunt ſi quidem omnis ætatis, & conditionis, ut eum venerarentur: non


fuit

fuit Ordo Regularis in Urbe, ex quo non adfuerant aliquot, & nonnulli magno numero, ad oſculandas ſi poſſent manus, aut ad minimum ad flectendos poplites, in ſignum reverentiæ ad illud corpus, quod credebant organum virtutum fuiſſe dignum honore vulgarem excedente. Ad quorum judicium, utpote ſecurius, non mirum eſt quod ſe compoſuerint alii, licet viri prudentes, & præcipui, & effuderint ſe in omne genus officioſæ pietatis. Ipſa veſpera deinde, non potuit negari multis Dominis ejus conſanguineis, & devotis, qui non potuerant inviſere infirmum, ea conſolatio ut ſpectarent exanimem, quem ſummo loco habuerant viventem. Ideoque clauſis portis & intromiſſis ſolis illis, quibus negari ex honeſtate non poterat, fuit in templum reportatus: neque ex conſpectu ejus ullus horror, qui ſolet meticuloſitatem fœminarum percellere, & abigere quando cadavera conſpiciunt, invaſit intuentes: ſed diu contemplantes, & iterum, iterumque fixo obtutu illud cum devotione ſpeculan-

tes honorarunt lacrymis & osculis, implorantes intercessionem illius animæ, per quam fuerant condecorati: denique fuit in sepulchro communi inhumatus, quamvis ex sententia Patrum & Superiorum in loculo separato, tamquam dignus, qui à reliquis secerneretur. Reculæ ejus & calamo, & penicillo & gypso formatæ, ex devotione, & ob memoriam rerum ab eo præclarè gestarum, fuerunt impensè desideratæ & expetitæ: attamen ob summam paupertatem, cui se adstrinxerat, tam pauca inventa sunt, ut impossibile fuerit postulationi communi facere satis. Unde prudenti consilio visum est Superioribus expedire, ut in vicem excitandæ, perpetuandæque viri tam incomparabilis memoriæ, fieret commentarius brevis virtutum ejus, quæ in vita notatæ sunt, tamquam securiores & pretiosiores reliquiæ ab eo relictæ, & imprimis dignæ ut sint in honore habitæ, portandæ non ad collum, sed in pectore præcipuè nostrorum Patrum & Fratrum, qui fruiti sunt felicitate videndi tam exem-

plari-

pliriter viventem, & tam feliciter morientem: ne dici possit de illo homine justo, quod desumptum ex Isaia Ecclesia Sancta accommodat justo justorum: *Ecce quomodo moritur justus, & nemo percipit corde: & viri justi tolluntur, & nemo considerat.*



INDEX CAPITVM.

F I N I S.

ERRATA.

Amice Lector antequam te dimittam, est quod te moneam; Absentia Translatoris, qui prælo interesse non potuit, fuit causa, cur menda non pauca irrepserint: & quamvis ejusmodi sint, quæ per se legentibus manifeste se prodant; tamen plæraque hic subnotare visum est. Sunt autem sequentia.

Pap. 10. *lin.*1. laudere, *lege* laudare. *pag.*26. *lin.* 14. relictæ, *lege* relicta. *pag.* 28. *lin.* 5. dicebant, *lege* dicebat. *lin.* 9. probatæ, *lege* probata. *p.*30. *lin.*3. promotos, *lege* permotos. *p.*46. *lin.* 10. dum itaque, *dele* itaque. *lin.* 17. Paulæ Adomo, *lege* Paulæ Adorno. *lin.* 18. Baptistæ Adomo, *lege* Baptistæ Adorno. *pag.* 50. *lin.* 19. Bresciæ, *lege* Brixiæ. *p.* 70. *lin.* 5. flagitis, *lege* flagitiis. *pag.* 71. *lin.* 17. Genua, *lege* Genuæ. *pag.* 76. *lin.* 13. inbecillem, *lege* imbecillem. *pag.* 77. *lin.* 14. Ferarri, *lege* Ferrari. *pag.* 78. *lin.* 2. ambilis, *lege* amabilis. *pag.* 96. *lin.* 11. cum, *lege* eum. *pag.* 102. *lin.* 15. cum, *lege* eum. *pag.* 111. *lin.* 22. sesuum, *lege* sensuum. *pag.* 118. *lin.* 11. poliorectica, *lege* poliorcetica. *pag.* 121. *lin.* 21. tanti, *lege* tangi. *pag.* 124. *lin.* 20. ætatis, *lege* æstatis. *pag.* 125. *lin.* 8. Prefessa, *lege* Professa. *pag.* 126. *lin.* 19. cum, *lege* eum. *pag.* 193. *lin.* 7. centem, *lege* centeni. *pag.* 150. *lin.* 12. eum, *lege* cum. *pag.* 151. *lin.* 11. cum, *lege* eum. *pag.* 168. *lin.* 19. Pater, *lege* Patre. *pag.* 171. *lin.* 22. vocationi, *lege* vacationi. *pag.* 177. *lin.* 7. quid, *lege* quod. *pag.* 183. *lin.* 13. abditius, *lege* abditus. *pag.* 187. *lin.* 17. vanè, *lege* vanæ. *pag.* 192. *lin.* 16. patientia, *lege* impatientia.

pag.

pag. 193. *lin.* 2. impigræ, *lege* impigrè. *pag.* 196. *lin.* 22. emovebat, *lege* evomebat. *pag.* 199. *lin.* 3. inadvententiam, *lege* inadvertentiam. *p.* 200. *lin.* 23. eo privatus omnibus, *dele* omnibus *pag.* 203. *lin.* 20. auditus, *lege* auditis. *pag.* 208. *lin.* 3. inadventendiæ, *lege* inadvertentiæ. *pag.* 216. *lin.* 15. dicurſum, *lege* diſcurſum. *pag.* 219. *lin.* 15. æqueſtris, *lege* equeſtris: *pag.* 229. *lin.* 8. oribatur, *lege* Oriebatur. *pag.* 242. *lin.* 16. fuerunt, *lege* fuerint. *lin.* 19. judicia, *lege* indicia. *pag.* 255. *lin.* 16. ſenſit, *lege* ſentit. *pag.* 260. *lin.* 8. Et, *lege* at: *lin.* 17. indigna, *lege* indignas: *lin.* 19. Cræmona, *lege* Cremona: *p.* 261. *lin. ultima.* contenſioſum, *lege* contentioſum. *pag.* 267. *lin.* 2. æquorum, *lege* equorum. *p.* 273. *lin.* 15. intumeſeret, *lege* intumeſceret. *pag.* 275. *lin.* 13. furtinæ, *lege* furtivæ. *lin.* 15. quos, *lege* quæ. *pag.* 278. *lin.* 14, luderet, *lege* læderet. *pag.* 287. *lin.* 10. infirmat, *lege* confirmat. *pag.* 292. *lin.* 4. multocies, *lege* multoties. *pag.* 293. *lin.* 20. ſequis, *lege* ſegnis. *pag.* 307. *lin.* 13. exulatione, *lege* exultatione. *pag.* 311. *lin.* 10. permittetent, *lege* permitterent. *pag.* 313. *lin.* 16. quantus, *leg.* quantum. *p.* 314. *l.* 20. *deeſt* obſervaſſe, *pag.* 318. *lin.* 17. conditas, *lege* conditos. *lin.* 20. ibi, *lege* ſibi. *pag.* 322. *lin.* 13. cum, *lege* eum. *pag.* 334. *lin.* 14. honoratis, *lege* honoratus. *pag.* 342. *lin.* 4. ſinit, *lege* ſivit. *pag.* 344. *lin.* 10. eum, *lege* cum. *pag.* 349. *lin.* 19. ad deinde, *lege* ac deinde. *pag.* 350. *lin.* 25: in diceretur, *lege* ut diceretur. *pag.* 351. *lin.* 1. Recipit, *lege* recepit. *pag.* 352. *lin.* 24. hora 5. *lege* hora 15.